



Disquisitio historico-theologica De Justini Febronii libro, De statu ecclesiae et legitima Romani pontificis potestate, sive de Johanne Nicolao Honthemio strenuo libertatis ecclesiasticae vindice

<https://hdl.handle.net/1874/291972>

II 8

DISQUISITIO HISTORICO-THEOLOGICA

DE

JUSTINI FEBRONII LIBRO: DE STATU ECCLESIAE ET
LEGITIMA ROMANI PONTIFICIS POTESTATE

SIVE

DE JOHANNE NICOLAO HONTHEMIO STRENUO
LIBERTATIS ECCLESIASTICAE VINDICE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CHRISTOPHORI HENRICI DIDERICI BUYS BALLOT,

MATH. MAG. PHIL. NAT. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

DIDERICUS GERARDUS GUILIELMUS MULLER MASSIS,


Lugduno-Batavus,

A. D. XVIII M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXIII, HORA I.

Trajecti ad Rhenum,

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLXIII.



PARENTIBUS
OPTIMIS CARISSIMIS

GRATO ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Argumentum Dissertationis Academicæ circumspiciens, elegi illam Theologiae doctrinae partem, quam semper in deliciis habui, quum huius summae utilitatis mihi persuasum esset, nimirum Historiam Ecclesiasticam. Cogitans de multis quaestionibus summi momenti, quas nobis proponit, oculos converti in gravissimas illas dissensiones quae nostris diebus in Ecclesia Romano-Catholica adsunt, et quae spectant ad hierarchiam papalem, ad genuinum illius sensum, ad jura et limites, quibus definienda sit. Itaque ea reputans, quae in saeculorum cursu contra eam allata et adhibita sunt ad infringendam nimiam illius vim atque efficaciam, sponte incidi in librum, cujus auctor, quamquam nostris diebus multis ignotus, tamen majore cognitione minime indignus est. Illius memoriam revocare simulque exponere ea, quae cum libro quem composuit conjuncta sunt, laborem minime infructuosum fore censui, praesertim quum plus valuerit quam vulgo agnoscitur vel creditur. — Majores difficultates argumentum illud habebat, quam primo adspectu putaveram. Si non prorsus eas neglexi, contra ad finem quodammodo

pervenit, quem mihi proposueram, Tibi debeo gratias sinceras, aestimatissime Promotor, vir Clarissime TER HAAR! Singularem curam mihi praebuisti, nil omittens quo me tuis consiliis adjuvares, semper eadem benevolentia atque amicitia me prosequens. Quot horas pro me impenderis, semper grato animo et revocare et confiteri mihi est propositum. Accipe vir Clarissime! sinceras meas gratias, optimaque vota. Per totum meum Theologiae studium Te habui praeceptorem carissimum et amicissimum, nunquam hoc recordari desinam. Deus O. M. Te per longum adhuc annorum spatium in salutem Academiae Rheno-Trajectinae vitam et valetudinem concedat!

Tales gratias, taliaque vota Tibi etiam debeo, Clarissime DOEDES! ex cujus institutione et consuetudine plurimos et optatissimos fructus accepi, quos etiam post me plurimos per longam annorum seriem discipulos, hujus Academiae alumnos, percepturos esse, etiam etiamque opto!

Neque vos hic praetermittendi estis, quibus praeceptoribus uti mihi contigit, V. Cl. BOUMAN, KARSTEN, ROVERS, MILLIES, OPZOOMER et BRILL! Multa vobis debeo, quorum semper grato animo reminisci in animo habeo.

Tandem ad vos me converto! Carissimi Amici! qui vel Academiam jam reliquistis, vel adhuc in ea versamini. Vos omnes valere jubeo; recordans nostram amicitiam et consuetudinem, omnibus omnia fausta apprecor!

Scrpsi in pago de Bildt, d. III. m. Septembris MDCCCLXIII.

CONSPECTUS.

PROOEMIUM.	Pag. 1.
--------------------	------------

CAPUT I.

DE PERIODO, QUÂ SCRIPTOR VIXIT ET DE IPSIUS VITÂ.	9.
---	----

CAPUT II.

FEBRONII LIBRI DE STATU ECCLESIAE ET LEGITIMA ROMANI PONTIFICIS POTESTATE CONSPECTUS SIVE BREVIS EPITOME	41.
---	-----

CAPUT III.

DE HUIUS LIBRI FATIS, QUORUM CONSORS FUIT AUCTOR	129.
I. Variæ Editiones ac Versiones Febronii Libri	132.
<i>a.</i> Editiones.	133.
<i>b.</i> Versiones.	139.
II. De variis Febronii adversariis.	141.
<i>a.</i> De scriptis contra eum prolatis	141.
<i>b.</i> De Curiae Romanae Summæ Pontificis conatibus ad reprimendum Febronii librum	152.
III. De auctoris, quæ ita dicitur, retractatione	157.

CAPUT IV.

DE HUIUS LIBRI FRUCTIBUS ATQUE EFFECTIBUS.	181.
I. De nova in Bavaria conditione rerum Ecclesiasticarum, tempore Electoris Maximiliani Josephi	182.
II. De Josephi II Imperatoris Reformationibus	184.
III. De Leopoldi Tuscaniae Principis reformandi studiis	200.
IV. De Episcoporum conatibus novum rerum ordinem in Ecclesia instituendi	204.
V. De praecipuis novi Juris Canonici auctoribus atque defensoribus	210.
VI. De fructibus quos Ecclesia Romano-Catholica ipsa, e systemate Febroniano perceperit	212.

PROOEMIUM.

Si quis hodiernam Italiae, imprimis Civitatis Ecclesiasticae, quae dicitur, conditionem litesque de seculari Romani Pontificis potestate exortas, attento animo considerat, huic sponte quaestio se proponit, utrum novi quid ac inauditi hoc nostro tempore agitetur, an vero jam antea iteratis vicibus idem illud vel simile quid sese oculis spectandum praebuerit; quidve discriminis intercedat, inter ea quae nunc fiunt, atque ea quae jam pridem facta esse historia nobis tradit. Dignissima sane, quae bene perpendatur quaestio! Nimirum, haud adeo viros, qui religionis Romano-Catholicae hostes ac adversarii habentur, quosve Romana Ecclesia haereticorum nomine designat, sed illos qui ejusdem Ecclesiae germanos se filios dicunt, primas hic agere partes videmus, contententes rem, quam in votis habent, neque ad dogmata esse referendam, neque verae fidei vel religioni quid damni vel noxae esse allaturam. — Libertatis studio atque ardore omnes fere Italiae incolae flagrant, idque ante omnia agendum esse clamant, ut Italia una eademque libera reddatur. Jam

nostra aetate anno 1848^o Itali experti erant, vanam esse spem, fore ut Pontificis ope patria liberaretur, quippe qui bellum cum Austriacis oppressoribus inire recusaret. Et revera non difficile est intellectu, Romanum Pontificem caput totius Ecclesiae Romanae, res parvae suae ditionis, subditorumque suorum commoda non posse praeferre totius Ecclesiae commodo ac saluti. — Simul vero Itali intellexerunt potestatem secularem Papae, et patriae libertati obstare, et damno esse Ecclesiae. Quod attinet ad varias sententias hac de re prolatas, eae revera magnopere differunt. Negari vero nequit maximas difficultates e tanta rerum conversione esse orituras, quae haud facile removeri vel superari possint. Fere in omnium manibus est Hasii ¹⁾ libellus, viri doctissimi atque ingeniosissimi, historiae Ecclesiae peritissimi, in quo cogitationes suas exposuit de iis, quae adhiberi possent, ut pax et concordia Romanum Pontificem inter novumque Italiae regem restitueretur. Exposita sententia multorum Protestantium, qui rem Romani Pontificis suam faciunt, ostendit auctor, ea quae medio aevo valuerant, ut Papa plena libertate ac securitate gauderet, nunc non amplius valere, quum plane diversae ortae sint conditiones; imo vero potestatem illam secularem ortum dedisse multis magnisque damnis et periculis, quae ipsi Pontifici, accrescente in dies libertatis studio, magis magisque immineant. — Anno 1859^o liber ²⁾ prodiit de Romani Pontificis auctoritate seculari summopere detrahens, in quo auctor demonstrare sibi pro-

1) Der Papst und Italien von Dr. CARL HASE.

2) La Question Romaine par E. ABOUT, Bruxelles 1859.

posuit, Papam minime potestate illa seculari indigere, neque olim eam hanc ob causam ei traditam, sed multo magis amicitiae causa vel ad grati animi sensum testificandum, uti exempla Pepini, Caroli Magni, Mathildae satis superque probant. — Deinde Papae alias terras urbsque acceperunt, ut Bononiam, quam per pactum Romana sedes sibi conquisivit; Ariminum, quam vi cepit. — Uti autem potestatem secularem Pontifici Summo necessariam esse negavit, sic asserere nullus dubitat regnum illud incolis minime gratum vel acceptum, quin potius utpote contrarium ipsorum salutis, ab illis abhorri 1) atque in odio haberi.

Alii vero auctores Despotismum turbasque politicas extimescentes, prorsus aliter judicarunt de rebus Italicis.

Laudant omnino illum libertatis amorem, quo Itali conati sunt patriam liberare a peregrinorum oppressione; minime vero viam ac rationem quam ad totius regionis cum externam, tum internam conditionem immutandam inierunt, probant. Foedus omnium Italicarum civitatum ad mutuam libertatem vindicandam et tuendam longe praeferendum esse statuunt. — Hanc sententiam celeberrimus Guizotius 2) quoque, quamquam ut omnes novimus Protestantium partibus addictus, enunciauit, quacum ipsius opinio de seculari Romani Pontificis potestate arctissime cohaeret. — Hanc enim per longam seculorum seriem

1) Ex iis quae scripsit hanc conclusionem eruit, pag. 305: „que la „métropole souveraine des églises de France devrait être légitimement „à Paris.”

2) Inprimis in opere: „L'Eglise et la Société Chrétienne en 1861.” Cff. pag. 41—52 et 90—99.

ita stabilitam ac consecratam esse judicat, ut ejus abrogatio summa sit aestimanda injuria, et prorsus contraria sit habenda libertati illi, quam cum Ecclesia Romanorum Protestantium familiae jure sibi postulant. — Non loqui possunt, ex hujus scriptoris sententia, qui hanc abrogationem et demolitionem efficere conantur, de *libera Ecclesia*, quandoquidem libertatem illam exoptatam eodem tempore prorsus infringunt. Eandem sententiam inter Romano-Catholicos plurimos defensores nactam esse, non est quod miremur. ¹⁾

Sic nostris diebus de gravissimis his litibus varia hominum studia, diversae sententiae, sibi invicem plane oppositae, se produnt. At quaeritur, nonne jam praeteritis temporibus simile quid in Historia occurrat?

Papalem potestatem sensim sensimque auctam esse, quis nescit? Causas hujus rei satis cognitae prolixè exponere, nihil attinet. In memoriam revocasse sufficiat, potestatem illam accrevisse ab illo inde tempore, quo Constantinus Magnus Imperatoris sedem Byzantii collocaret, quod quum dicimus minime fictitiam illam Constantini M. donationem, quam jam Laurentius Valla exposuit, sed eventum ipsum illuc translatae sedis ejusque effectus in mente habemus. — Haud minus eandem potestatem auctam esse constat, quoniam Imperatores qui Occidenti praecerant, Italiam, imperio Orientali amisso, nec satis potuerunt contra extraneas Barbarorum invasiones defendere, neque ad dignitatem et potestatem suam intra imperii sui fines vindicandam idonei fue-

1) Apud nostrates in opere *Ephemeride de Catholicis*, anni 1859ⁱ pag. 49 etc. et anni 1860ⁱ pag. 179, 384 etc.

runt. Mox Papa per totam Italiam unice fere regnavit, fuit paene ipse Imperator, quem tamen auctoritate longe superavit. Aliae accessere causae, quas aeque minus recensere lubet, ac latius exponere, quomodo Hierarchia Romana, utpote gentium neo-Europaearum educatrix, plus uno nomine populorum saluti inservierit¹⁾.

Mentionem hic tantum injicimus Gregorii VIII et Innocentii III, quorum opera ac studiis potestas papalis summum fastigium attigit, quorum alter plane vita factisque effecisse censendus est, quod alter in mente habuerat, et tamquam vitae scopum sibi proposuerat. Omnes fere reges ac principes papalem auctoritatem agnoverant, interdicti poenas timentes. Pontifices autem, antecessorum vestigiis insistentes atque in dies altiora spirantes hanc auctoritatem mordicus defenderunt, atque erga reges ac principes suum esse duxerunt:

„Parcere subjectis et debellare superbos.”

Vel sic tamen non semper reges, sibi imposito jugo se subjecisse Henrici IV, Friderici II, Ludovici Pulchri, aliorum etiam exempla testantur; nec semper Pontifices ex hoc certamine victores discessisse eadem historia nos docet. — Politica studia apud hos reges in oppugnanda papali potestate primas egisse partes ultro fatemur; sed et alii fuerunt, apud quos vel libertatis vel reformationis studium vel etiam Ecclesiae salutem et verum pietatis amorem praec omnibus valuisse, vix in dubium vocari potest. Cujus memoriae hic nomina non succurrunt Arnoldi de Brixia, qui medio saeculo XII^o signum li-

1) Egregie hoc exposuit cl. W. A. VAN HENGEL in opere, „Geschiedenis der zedelijke en godsdienstige beschaving.” Inprimis Tomo II^o.

bertatis Romanis praeferens, magnam populi partem ad se traxit, sed exsul ab hostibus captus Romamque translatus morte atrocissima audaciae suae gravissimas poenas luit: Hieronimi Savonarolae, Profetae Florentini, qui aulae Romanae scelera abhorrens, neque Pontificibus, neque magnatibus, neque popularibus pepercit, sed Papae jussu pyrae traditus, adstante atque acclamante plebis turba, in flammis periit; denique Bernardi Clavallensis, qui licet toto animo Ecclesiae Romanae doctrinae, placitis, institutis addictus, de seculari tamen Pontificis potestate, futura fere praesagiens, ad Eugenium III^{um} haec verba notatu dignissima scripsit: „si utrumque simul habere voles, perdes utrumque 1).”

Sacrorum instauratio saec. XVI^o uti Romanae Hierarchiae, si subditorum vel assecliarum numerum spectas, letale quoddam vulnus infixit, sic quoque novas veluti vires animosque addidit iis, qui ab hoc inde tempore, intra Ecclesiae sinum cum auctoritate Papali pugnam inirent, quae pugna nunquam prorsus sopita per seculorum decursum iterum iterumque exarsit, et latius etiam se extendit. — Culpa hujus redintegrati certaminis haud dubie in immoderata Pontificum ambitione est quaerenda. — Scilicet medio aevo semper accrescente potestate papali, eo pervenerant Pontifices Romani, ut sibi jus vindicarent, omnia jura privilegia muneraque in Ecclesia distribuendi: — Omnia a Roma proficiscebantur, omnia ad illam tanquam ad fontem redibant. Papa Christi vicarium se dicens ceteros Episcopos suos

1) In opere: *de Consideratione*: — imprimis Lib. II. cap. 6, et 8. Lib. III. cap. 1^o.

ministros habuit, qui munus suum ab ipso accepissent, cunctaque jura privilegia, dignitates, honores, tantum e Pontificis voluntate nacti essent. — Et quamquam post instaurata sacra potestatem suam angustioribus limitibus circumscriptam esse sentiebant Pontifices, vel tunc omnia quae amisissent recuperare, omnia quae adhuc possiderent, omnibus viribus tenere, tueri, augere, extendere studuerunt. Sic autem Episcopi, Archiepiscopi, aliique summa, ut videbatur, dignitate induti, multum de suis juribus detrahi, probe erant conscii, uti magistratus, ac principes, omnibus fere in civitatibus, se, praevalente ac praedominante auctoritate papali, externa quadam ac peregrina potestate, in rebus politicis gubernandis, impediri et ligari persentiscere coeperunt. Hinc plures controversiae, eaeque gravissimae cum sede Romana; hinc lites de privilegiis Ecclesiae Gallicanae ortum duxerunt; ut in patria quoque nostra hujus dimicationis documentum adhuc exstat, in familia, quae Jansenistarum nomine dici consuevit, sed Veteris Ecclesiae Romano-Catholicae nomine appellari, ipsa praefert.

Pauca haec sufficiant ad demonstrandum nullo fere tempore defuisse, qui Potestati Papali omnibus viribus resisterent eamque oppugnarent, sive hac in pugna unice rationibus politicis, sive magis libertatis studio, sive sincero veritatis et religionis amore ducti fuerint. Ad quaestionem ipsam, quae his nostris diebus multorum animos intentos tenet, quibusnam finibus ac limitibus, etiam si justa ac legitima habeatur, papalis potestas sit circumscribenda, „jam ante hos centum annos,” Honthemius, sub pseudonymo Justini Febronii latens, responsum plane egregium dedit, quum anno 1763 „librum suum

singularem de statu Ecclesiae et legitima Romani Pontificis potestate," ederet. Quod recordans et dissertationis argumentum circumspectans, haud incassum vel infructuosum opus facturum esse mihi visus sum, si hujus libri, qui fere in oblivionem abiit, memoriam renovarem, ac disquisitionem in me susciperem: ut hinc appareat, quid discriminis intercedat inter illud quod Febronius sibi voluit, atque appetit haec nostra actas; nec minus quodnam pretium hisce Febronii conatibus sit statuendum.

Quo in labore ita versabor ut in Primo Capite de periodo, qua scriptor vixit, ipsoque auctore paucis agam.

Alterum Caput, libri, in brevem epitomen redacti, argumentum ac consilium primum exhibebit ac exponet.

Tertium Caput fata libri quorum auctor consors fuit, enarrabit.

Quarto denique fructus, quos hic liber tulerit, considerabo, ac rite dijudicare conabor.



CAPUT I.

DE PERIODO, QUÂ SCRIPTOR VIXIT ET DE
IPSIUS VITÂ.

Quod jam supra verbo diximus, post instaurata Sacra auctoritati Pontificis Romani in ipsa Ecclesia Catholica repugnari coeptum esse, id de temporibus, quae Paci Westphalicae proxime subsecuta sunt, quam maxime valet. Pacis illius statuti publice intercessit Innocentius X. Frustra! Multa enim ¹⁾ bona ecclesiastica id temporis ex sacris profana facta sunt; principes vero et Catholici et Protestantes — id quod Sanctae Sedis nomini non parum offecit — nulla habita cum Sede illa deliberatione, de quibusvis rebus statuerunt. Secularis principum potestas his sola sufficere videbatur; atque ab eo inde tempore hoc in orbe etiam Romano Catholico valuit tamquam principium.

1) Cf. de Pace illa: Dr. J. J. RITTER, *Handbuch der Kirchengeschichte* zweiter Band, S. 317, 318. — Dr. J. ALZOG, *Universalgesch. der Christl. Kirche, dritte Abtheilung*, S. 921 et SCHLOSSER, *Gesch. der 18e et 19e eeuw*, 2e deel, pag. 88, 89.

In Gallia praesertim Ludovico XIV^o regnante hoc apparuit: ne dicamus de contentionibus hunc regem inter et Alexandrum VII Papam factis ¹⁾ commemoramus tantum certamen pro Gallicanae ecclesiae libertate cum Clemente X^o et Innocentio XI^o initum, eo nomine magnum, quod, quantopere potestati Pontificis nocere posset ²⁾ cum princeps potens et audax, tum clerus suae gentis libertatisque amans, exinde apparuit. Neque hoc loco praetermittendum Bossuetum, episcopum Meldensem, venerabilem dilectumque plurimis, quatuor illas propositiones ³⁾ celeberrimas scripto tunc defendisse.

1) De quibus plura legas apud RITTERUM l. l. Cf. etiam J. M. SCHRÖCKH, *Christliche Kirchengeschichte seit der Reformation. Sechster Theil*, S. 325—329.

2) W. BROES, „*De Kerk en de Staat in wederzijdscha betrekking volgens de Geschiedenis*, deel 3, pag. 167 sqq. sub titulo: „*Lodewijk XIV, proef van het eindelijk overwigt des Pausen*,“ pronuntiat sententiam, teste historia, reges etiam potentissimos in litibus cum Papa, tandem succubuisse, uti exempla Philippi Pulchri, Henrici IVi et Ludovici XIVi, cum pacem iniret cum Alexandro VIII^o, et Innocentio XII^o, (quorum factorum causas exponit auctor pag. 173—175) satis probaverint; attamen censemus temporum conditionem sensim ita mutatam esse, ut unius quidem principis factum parum valeret ad opiniones liberas in dies increcentes coercendas; in universum vero hoc tenendum, populum auctoritati papali sese opponentem plus valere, quam principem quendam, qui ut recte animadvertit idem auctor pag. 173 saepe suo ipse cohibetur principio, et propria sua salute.

3) In libro post mortem scriptoris edito, cui titulus: *Defensio Cleri Gallicani*, (SCHRÖCKH, l. l. S. 341 en 531) contra quem JOSEPHUS AUGUSTINUS ORSI, Dominicanus, scripsit librum: „de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio adversus quartam Cleri Gallicani propositionem a Bossueto propugnata.“ Romae 1739, 2 Tomi, 4^o. cui scripto alterum addidit: „De Romani Pontificis in Synodos oecumenicas et earum canones potestate, Romae 1740, 4^o,“ quae scripta

Verum ipsa sedes Romana damnorum, quae hoc, de quo agimus, seculo passa est, pro magna parte fuit auctor. Unum modo de multis afferamus exemplum. Lites politicae, quibus sine ulla fere intermissione temporis, cum nonnullis civitatibus, principibusque catholicis implicita fuerat, effecerunt, ut paulatim aliquid de dignitate et amore, quo olim colebatur, decederet. Quod in ceteris Benedictus XIV alendis cum Veneta republica controversiis comprobavit. ¹⁾

Clemens XI (1700—1721), Carolo II^o Hispaniae rege mortuo, dissidioque de successore Austriam inter et regnum Francicum orto, pacem componere sine ullo fructu conatus est; hunc postea, Francici regis partes secutum, Austriaci vehementer vexarunt ²⁾.

Deinde certantes videmus et Innocentium XIII^{um} cum

saepius a Febronio afferuntur et judicantur. De diminuta auctoritate papali SCHRÖCKH I. I. acerbissimam hanc sententiam enuntiat: „Nicht als wenn es dem päpstlichen Stuhl an muthigen und zum theil geschickten Vertheidigern seiner Rechte gefehlt hatte: und es kann ihm daran so lange nicht fehlen, als er der Ausflusz einer menge von Gnadenbezeugungen und Belohnungen für seine treuen Anhänger bleiben wird.“ — Quibus subdit: „aber der Geist der Zeiten, immer freier, forschender, zweifelnder und entscheidender, hat sich einmal wider ihn in vielen Gegenden erklärt.“ —

1) Cf. de iis libris i. a. SCHRÖCKH, I. I. S. 437 sqq.

2) Recte RITTERUS I. I. S. 324 ait: „es wurde in der that immer schwieriger, die päpstliche wurde mit Ehre zu bekleiden; auf der einer Seite so grosze Erinnerungen besessener macht, auf der anderen eine Reihe von Fürsten, von denen jeder die höchste geistliche auctorität in seinen Reiche ausüben, und den Pabst und die Religion nur zu seinen Politischen absichten gebrauchen wollte.“

RITTER, S. 326, addit: „In der That erführen jetzt die Päpste eine ehrenvollere Behandlung von den Protestantischen Fürsten, als von den Katholischen, Christlichen und Apostolischen Majestäten.“

Johanne V^o Lusitaniae rege, et Clementem XII^{um} cum Philippo V^o rege Hispaniae. Hic postulavit, ut Pontifex Romanus Carolum filium, octo tantum annos natum, Cardinalem faceret.

Aliae tamen causae, et majoris quidem momenti, accesserunt, quibus rerum facies prorsus mutata est.

Novum quoddam philosophiae genus in Gallia ortum semina ramosque per fere omnes Europae regiones sparsit. Inprimis Voltarium haec philosophia auctorem habuit, et uno ¹⁾ verbo *materiale* dici potest. — Fides ecclesiastica ab ea erat rejecta, et plurima regna intelligebant sibi optimum fore, ut eam in amicitiam vocarent, si pervenire vellent ad finem quem sibi proposuerant. — Et quidem haud adeo principes ipsi fuerunt, qui sese antiquae auctoritati opponerent, sed regum administri, qui in diversis civitatibus fungebantur summis muneribus, et qui amplexi philosophiam Gallicam et contemplationem omnium rerum cum ea cohaerentem, omnes vires suas intendebant ad omnia dimovenda quae conatibus suis obstabant. Sic in Gallia nos advertit de Choiseul, in Lusitania de Pombal, in Hispania Aranda et Campomanes, in regno Neapolitano Tanucci, in Austria von Kaunitz. Quam-

1) Inprimis cf. K. A. MENZEL, *Neuere Gesch. der Deutschen seit der Reformation. Sechster Band*, S. 18, 19. C. W. F. WALCH, *Neueste Religionsgesch.* Th. II. S. 1—55 et III. 373—405. SCHLOSSER, I. I. II. pag. 272 sqq. SCHRÖCKH, I. I. S. 45—148.

Voltarius ipse in fragmento epistolae ad virum illustr. de Villevieille (in opere ALEXIS DE SAINT-PRIEST, „Histoire de la Chûte des Jésuites dans le 18^{me} siècle“) statuit: „novas opiniones, jam diu crescentes, certe ansam dedisse ad expellendos Jesuitas, et in universum ad resistendum potestati papali.“

quam revera non omnia quae ab iis facta sunt approbare possumus, quoniam satis multa prorsus aliena erant a justitia et jure, ab alterâ tamen parte negare non possumus, et omnes res ipsis alio modo visas esse et rursus veteres consuetudines et usus tam altas radices misisse, ut, si pervenire vellent ad finem sibi propositum, uti deberent remediis, quae nullum dubium relinquerent. Quod ad principes ipsos attinet, plerumque infirmitate corporum, et deliciis et voluptatibus, quibus gaudebant, avertentur a seriis studiis, quibus regnorum suorum salutem promovere possent.

Unum exemplum afferamus. Ludovicus XV quum tacitis conscientiae conviciis cruciaretur ob vitam suam sordidam, auxilium exspectabat ab ecclesia, cujus auctoritatem lubenter defendere volebat; hic igitur, nisi administrum habuisset de Choiseul, et concubinam de Pompadour, nunquam id temporis in Francia ea quae acta sunt fuissent peracta. Caveamus tamen ne his tribuamus animum eum serium, firmanque eam persuasionem, quibus duci videbantur. Secus apparebit, si inspicimus interiorem conditionem regni: videtur enim eos populi favor magis movisse, qui in parlamentorum sententiis jam tunc studium suum ostendebat, quam regis mox morituri, cujus tamen mors finem impositura erat ipsorum auctoritati. Et quidem observatu dignissimum est, principes, vitam honestam persequentes, itaque nullo modo ansam dantes sacerdotibus ad eos coercendos ecclesiae poenis vel minis, hos contra superantes virtute et pietate revera Christiana, primas partes egisse in oppugnatione illa praesenti auctoritatis papalis. Exempli instar sit Maria Theresia Austriae

Imperatrix, nec minus memorandus Josephus II, huius filius.

Opiniones autem illas, a nova philosophia originem trahentes, sensim crevisse et vero eas, quae antea florebant mutasse, perspicimus in tolerantia religiosa, quam plerique amplectebantur. Philosophiae illi videbatur religio res tam parvi momenti et ut ita dicam adeo indifferens, ut magna esset stultitia habenda alios eam ob causam persequi vel poenis afficere. Luculenter hoc apparet e verbis Voltarii, damnato ¹⁾ Jano Calas, Ludovico XV^o rege, dicentis: „si rex sciret, quae inde secutura sint, haec res ei magis cordi esset! Jam septem familiae regionem reliquerunt.” Quibus addit: „Carere nunc possumus officinis?” ²⁾ Nullum igitur huic tolerantiae suberat principium Christianum, materiale

1) Cf. K. F. BECKER, *Algem. Gesch.* VII. pag. 243 et W. BROES, *de Kerk en de Staat in wederzijdsche betrekking volgens de Geschiedenis*, Deel 3. pag. 182.

2) Cf. lectu dignissima expositio Wilhelmi Broes l. l. pag. 176—184, sub titulo: „vrijgeesterij aan de zijde van staatskerkelijke geloofsdwang, een merk der eeuw van Lodewijk XV, ubi animadvertit: 1^o. het vreemde contrast tusschen staatskerkelijken geloofsdwang en weinig beteugelde vrijgeesterij; 2^o. het gereede ontstaan van het laatste uit het eerste; 3^o. de aanmerkelijke matiging en verzachting van het eerste door het laatste.” — Agens de damnatione Jani Calas a Voltario improbata dicit, pag. 183: „Voltaire heeft voor den mishandelde Hugenoot gesproken, Voltaire heeft zoo edelmoedig de zaak van den verongelijken bepleit; nu komt al wat Voltaire leest, al wat met diens geschriften en vrije gevoelens is ingenomen, aan zijne zijde staan, om, wat men vroeger onverschillig heeft aangezien, t. w. het kwaad der godsdienstvervolging, met alle kracht te weren.”

Eaedem de tolerantia opiniones variis modis in lucem prodierunt, v. c. Fredericus II, rex Prussiae, qui eo tempore censebatur ceteris

vero illud, de quo jam supra locuti sumus. 1) Protestantismus ille Catholicus, de quo Hagenbachius in opere saepius citato vel citando locutus est, omnes intendebat vires ad abusos delendos, ad fines praecribendos auctoritati R. Pontificis, ad reformandos monachos; studebat populo prodesse melioribus scholis instituendis, praedicatione, et cultum informando ad rationem temporum, praesertim reformandis moribus, quorum perversitas religionis dignitati summopere nocuerat. Alterum contra systema, omnia quae poterat, faciebat ad coercendum verum protestantismum late sese extendentem, ad reprimendam libertatem omnesque cum ea cohaerentes notiones, ad firmanda hierarchiae fundamenta novis viribus, in universum ad numerum fidelium augendum.

In Gallia Jesuitismus caput erat hujus rationis, Jansenismus contra illius. Si vero Jesuitismus Jansenismum vicit, ille sua vice potestati seculari cedere debuit. Reformationis autem principia usque ad principem Monarchiae Ecclesiasticae penetrarunt, ut notum est, Ganganelli sive Clemente XIV^o Papa creato. Idem Hagenbachius animadvertit, 2) si sine ulla praepjudicata opinione contemplanur conatus aulae Borbonicarum, praesertim ad reprimendos Jesuitas, in universum profecto initia conspici meliorum temporum, majus tamen gaudium nostrum fore, si non verum esset, multa accidisse aliena, ut jam

praeferre mentis lumina, Jesuitas persecutos in provincia sua Silezia, nonnullis sub conditionibus, recepit. Cf. Dr. K. R. HAGENBACH, *Vorlesungen über Wesen und Gesch. der Reform.* Th. 6. S. 437 sqq.

1) Vir doctissimus K. R. HAGENBACH l. l. Th. 6., S. 433 sqq. distinguit *protestantismum catholicum a systemate papali.*

2) l. l. S. 437.

vidimus, a justitia et jure, caeterum: despotismum alterum alterius in locum successisse. ¹⁾

Verba Herderi, ²⁾ quae scripsit mense Augusto anni 1788 ex urbe Bamberg ad uxorem, nos docent tunc etiam multos fuisse qui Romanae Ecclesiae sincere addicti, Protestantismo vero Catholico plus minusve faverent.

Jam paucis verbis locuti sumus de alia causa diminutae auctoritatis papalis, quam plenius considerare debemus, quae sanctae sedi non solum multum auctoritatis, verum etiam dignitatis ademit. Ordo scilicet Jesuitarum id temporis plurimorum in odium incurrerat. Non omnia quae huc spectant, jam hoc loco exponere possumus, sufficiat causam judicalem, quam habuit La Vallette in memoriam revocasse. ³⁾ Disquisitione accurata instituta, multa detecta sunt, quae ordini erant summo dedecori; et ut in tali causa inquirenda plerumque fit, cujusvis generis facinora, vera fictaque, illis imputabantur. Per to-

1) HAGENBACHIUS cum SCHLOSSERO facit, l. l. III. pag. 158, statuente expulsionem ordinis Jesuitarum, quamquam originem capientem ab anlis Borboniasticis, arcte tamen cohaerere cum Historiâ Germaniae, quoniam per eam sententiis liberalioribus seculi XVIII, aditus in Germaniam, etiam in parte Catholica illius regni, apertus est.

2) *Lebensbeschr.* l. S. 32. „Gewirr in den katholischen Köpfen, die allen aufgeklärt werden und doch bei der christ-katholischen Lehre bleiben sollen.“

3) Secus judicavit comes ALEXIS DE SAINT-PRIEST, in opere: „Histoire de la chute des Jésuites dans le 18^me siècle,“ statuens causas quae societatem perdiderunt, fuisse locales, speciales, et vel personales; neque philosophiam, neque politicam aliquid effecisse; merum vero fatum in hac re fuisse conspicuum. Jansenistae, ex hujus auctoris sententia, illius ordinis damnationem sane sperabant, sed ipsorum numerus hostium nimis magnus erat, ut multum valuerint. (l. l. pag. 2, 3.)

tam Europam vehementissimum odium in eos ortum est, quum Papa Clemens XIII strenue eos defenderet. Quid vero inde secutum? Ut notum est, pugna contra Jesuitas vel ad ipsam Curiam Romanam pertinuit: etiam huius Curiae aulicis summisque praelatis interfuerunt Jesuitarum adversarii. Aulae vero Catholicae mortuo Clemente XIII^o non acquieverunt, nisi in electo Ganganello Summo Pontifice, nomine Clementis XIVi. 1)

Vix aliter fieri potuit, quin antiqua gloria sensim de capite Paparum decederet, et munus illorum fieret onus gravissimum. Multis ornamentis, quae olim strenue sibi vindicaverant, nunc carere debebant, quum non amplius adesset potestas et dignitas, quibus prioribus temporibus gavisī erant.

In parte septentrionali Germaniae nova orta est civitas, regnum Borussicum. Clemens XI restitit 2) novae illi regiae dignitati, statuens ducatum Borussiae partem fuisse possessionum equitum ordinis Teutonici, ab his vero nunquam fuisse derelictum. Frustra vero etiam hac in causa restitit. Non tantum novum regnum constitutum est, sed etiam brevi insigniter amplificatum. Mox Borussia Frederico II^o rege ad summam gloriam pervenit, auctoritate sua ceteris fere Germaniae regionibus antecellens. Fredericus amicus Voltarii, hujus amplexus erat opiniones, quamquam iis formam dabat absolutismi militaris, 3) quae profecto forma non per se idonea est ad homines feliciores reddendos. Quam licet

1) WALCH, l. l. I. S. 3—54.

2) RITTER, l. l. S. 323.

3) MENZEL, l. l. S. 19.

philosophi saepius jocis ¹⁾ prosequerentur, longe tamen eam praeferebant auctoritati ecclesiasticae, sibi tam odiosae, ut laudarent potius summam arrogantiam, si haec infesta modo esset ecclesiae. Satis est commemorare nomen Philippi Gotthardi von Schaffgotsch, episcopi urbis Vratislaviae, si quaerimus, quid ecclesia Romano-Catholica ab hoc rege expectare potuerit. Quum episcopus ille auxilium a Romana sede peteret, nullum ei Papa ferre voluit nec potuit; nam jure ait Menzelius ²⁾, nullo modo summo Pontifici id temporis potestatem fuisse resistendi victori regi Protestanti, quum undique ipsum hostes circumdarent, qui quasi foedus inierant, ut sanctae sedi quantum possent nocerent.

Vidimus in universum, quae fuerint causae pugnae illius contra auctoritatem papalem saeculo 18^o, quae non leviter nocuit dignitati sedis Romanae; transeamus igitur ad exponendum, quomodo nova illa principia vim suam exseruerint diversis in civitatibus catholicis, imprimis in Lusitania, Hispania, Neapolitano regno, Austria, Francia, denique in ducatu Parmensi, qui, quamquam angustis finibus inclusus, non minimas tamen partes hic agit. Quibus propositis oculos convertemus in Germaniam, ubi videbimus certamen transiisse a parte politica ad ecclesiasticam, ac talia agi vel praeparari quae Reformationis tempora in memoriam revocare viderentur. ³⁾ Itaque perveniemus ad librum Fe-

1) v. c. VOLTARIUS in scripto *Questions Encyclopédiques* sub titulo *Guerre et Tactique*; de qua enunciatione Fredericus II in litteris die 9^o Octobr. anni 1773ⁱ et 16^o Febr. 1774ⁱ eum valde reprehendit.

2) l. l. S. 18.

3) HAGENBACH, l. l. S. 438.

bronii, qui in Germania novum diem nuntiavit ¹⁾; indicavit enim rationes quae intercedebant Germanico-catholicam ecclesiam illiusve clerum inter et aulam Romanam, verumtamen narratio de vita auctoris proxime praeibit contemplationi eorum, quae libro ipso continentur, ad sequens caput referendae. Ex iis vero quae huc usque tractavimus, tantum jam vidimus, ut rejicere audeamus sententiam a Walchio prolatam ²⁾. Quod auctor hoc loco dicit: „de finibus potestatis papalis”

1) Non aliter judicat, quamquam utpote catholicus non gaudens *nova illo die*, vir doctissimus MICHAËL PERMANEDER in libro cui titulus: *Handbuch des Gemeingültigen katholischen Kirchenrechts*, Th. I. § 55. pag. 69. sic scribens: „In Deutschland verschaffte das pseudonyme Werk..... diesen Grundsätzen Eingang,” Causas: „dieses oppositionsgeistes gegen Rom,” memorat: „der reiz einer nach allen Seiten *unbeprägten Allgewalt*, mit welcher sich die Protestantischen Fürsten umgaben, welcher mit seinem Zauber auch auf die Gemüther *katholischer* Regenten wirkte.” — Porro: „die veränderte *weltliche* Politik, die materiellen Interessen, Nationalfreyheiten.” Vocat hanc periodum aeram: „*fürstlicher Alleinherrschaft*.” — Idem significat in ejusdem libri Tomo II. § 602. pag. 228, ubi dicit Febronii scriptum: „das famos, aus jansenistischen und protestantischen Schriftstellern zuzammengeraffte Werk..... mit dem darin ausgesprochenen grundsätze, dasz alle menschliche Machtfülle in dem Staatsoberhaupte sich concentrirte, und dieses sohin seine legislative und richterliche Gewalt auf alle Seine Unterthanen in alle Angelegenheiten ohne ausnahme zu erstrecken befugt sey.”

2) l. l. Th. I. S. 147, ubi dicit: „obgleich eine Menge von Schriften, die sowohl gleichen Inhalts sind, als von ihren verfassern gleiche bestimmung erhalt haben, in den altern und neueren Zeiten herausgekommen, so unterscheidet sich doch Febronii arbeit, von den übrigen auf verschiedene Arten, die ihr zugleich vor diesen einen Vorzug der Merkwürdigkeit verschaffen. Einmal stellte Febroni sein buch, oder wie wir jetzt reden müssen, den ersten Theil desselben zu einem solchen Zeit an das licht, da die Streitigkeiten der bourbonischen kronen und anderer hierinnen mit ihren verbundenen Europäischen machte mit dem

non ab omni parte verum videtur; etenim ut exposuimus, superioribus temporibus de ea re gravissimae lites ortae jam erant in regno Francico, susceptae illae pro libertatibus ecclesiae Gallicanae. Constat etiam, ut postea videbimus, ante annum 1763^{um}, quo primum in lucem liber prodiit, omnino jam inimicitias ortas esse plures inter aulas et Romam, nunquam tamen fines auctoritatis papalis accurate ab aulis illis Borbonicis catholicis definitos esse, ut in Febronii libro factum est; quod res ipsa ostendit, quae *ex jure canonico* ab auctore tractata est, prorsus igitur alio modo, quam ab administris principibusve aularum illarum. Nos hoc loco potius facimus cum viro doctissimo Michaële Permaneder, statuente, librum illum primum in Germania viam stravisse atque aperuisse novis principiis. ¹⁾

Ad Lusitaniam ²⁾ igitur quod attinet, ibi regnavit usque ad annum 1750^{um} corporis infirmitate et morbo affectus rex Johannes V^{us}, qui totum suum regnum monachis et clero gubernandum reliquit. Filius Josephus adhuc infans matrem suam habuit tutricem, quae magno opere diligebat uxorem administri, summis honoribus fungentis et imprimis res externas curantis, Pombalis ³⁾, ut

romischen Hofe über die Gränzen der Macht des Pabstes noch nicht ausgebrochen waren, welche denn freylich den Gelehrten Gegnern derselben und Privatschriftstellern einem desto grözere Freymüthigkeit einflozzen konnten, je sicherer sie ihren Schriften höhern Schutz und Beyfall versprechen konnten."

1) Cf. nota pag. praec.

2) Cf. WALCH, l. l. II. S. 57—122, SCHROCKH, l. l. VI. S. 470, 471, MENZEL, l. l. VI. S. 19, 20, SCHLOSSER, l. l. III. S. 1—34.

3) Sebastianus Josephus à Carvalho y Melo, postea comes a Oeyras, dein Marquis de Pombal.

plerumque vocatur. Hic, qui Londini, Parisiis et Vindobonae legatus fuit, rejecerat veteres opiniones medio aevo valentes, quas etiam patriae suae valde noxias esse censebat ¹⁾. Josephus mox auxilio ejus carere non poterat. Quaecumque autem in patriae salutem Pombal peregerit, accuratius exponere non sinunt hujus Dissertationis limites, nec consilio quod nobis proposuimus, convenit ²⁾. Sic etiam missam facimus prolixam historiam inimicitiarum, quas gessit cum Jesuitis, quos maxime in odio habebat, quippe qui imperium in imperio introduxissent. Satis igitur habemus referre, eum jam anno 1755^o, eodem, quo urbs Ulyssippo terrae motu concussa notissimam illam calamitatem subiit, fortiter sese iis opposuisse, quamquam nondum in Europa ipsa, verum in illa Americae regione, cui nomen est Paraguay, ubi condiderant Jesuitae missiones vel potius civitates ecclesiasticas, quarum ipsi

1) Comes A. DE SAINT PRIEST, l. l. pag. 8, condemnans ejus crudelitatem, avaritiam, zelum, sic eum describit: „Pombal sane non erat „magnus vir, sed profecto nunquam fuit minister excellentior in tam „parva civitate.” — Loquens de ejus reformandi studiis et in univ-
sum de iis quae occurrunt saeculo 18^o, sic de iis judicat; „fuerunt re-
„formationes per absolutam potestatem operatae, forma adhibita philo-
„sophica.”

2) Jam statim finem imponens actis illis horrendis, quae dicuntur *auto's da fé*, potestatem diminuerat judicii *S. Inquisitionis*. Porro reformabat multos ordines monachorum, diminuebat numerum dierum festorum, magistratui cedebat multas dispensationes, quas olim habuerat Papa, et plura, quae omnia hic non sunt memoranda. Non enim haec scribuntur ad indicandum, qualem Pombal se praestiterit reformatorem, multo vero magis ad indicandum, quomodo jam tunc constans voluntas resistere potuerit tenebris aevi. Quidquid postea mutatum fuerit, opiniones hae novae, scripto saepius mandatae, nunquam prorsus poterunt.

gubernationem habebant, cui tamen Pombal finem imposuit ¹⁾. Anno autem 1758^o gravius quoddam evenit.

Insidiae enim structae sunt vitae regis a nonnullis viris primi ordinis, quae tamen prorsus irritae sunt redditae. Qui crimen perpetraverant in carcerem conjecti sunt; accurata quoque inquisitio instituta est. Pombal simul omnes intendit vires ad probandum ²⁾ etiam Jesuitas participes fuisse illius criminis, ut simul eos damnare posset, quin etiam initium fecit publicandarum eorum possessionum ³⁾. Papa vero Clemens XIII, a quo trecenti et sexaginta episcopi e diversis regionibus, simul cum cardinalibus et electoribus ecclesiasticis Germaniae, petierant ut fortiter defenderet ordinem, epistolas misit in hujus favorem ad nuntium suum in aula Hispaniae. Pombal contra eodem tempore misit, regis nomine, scriptum

1) MENZEL, l. l. S. 19, 20, *in nota* maxime laudat has Jesuitarum colonias, quas dicit utilissimas fuisse incolis, mox rursus morum pravitati et saevitiae deditis.

2) Multa quae ad hanc rem spectant, adhuc in tenebris latent, cf. etiam WALCH. l. l. S. 57; neque omnia satis bene explicari possunt, quomodo v. c. principes Lusitaniae ausi sint tale crimen committere. Et, si quaeritur, num Jesuitae hujus rei participes fuerint, hoc constat duces Aveiro cum iis amicitiam habuisse eosque sibi reconciliasse, postquam, Pombale auctore, imperium amiserat. Denique major Marchio a Tavora nullos fere nisi Jesuitas amicos habebat. Quod, si non omnia, aliquid tamen probare videtur.

3) Ut legimus apud SCHRÖCKH. l. l. VI. S. 594, 595. Jam Benedictus XIV anno 1758 (die 1^o Aprilis) Bullam misit ad cardinalem Saldanha, ut ordinis reformationem institueret. Sed teste WOLFIO, *Allg. Gesch. der Jesuit.* Theil III. pag. 54 sqq., etiam misit mandatum secretum ad cardinalem, in quo Papa non omnes quidem accusationes negat vel in dubium vocat, sed satis benevole de ordine loquitur. Minime vero tam procul procedit ut VON MURR, *Geschichte der Jes. in Port.* etc. I. S. 148 qui strenuum hujus ordinis defensorem egit.

Romam, exhibens causas, quibus ille commotus Jesuitas in odio haberet, simulque a summo Pontifice veniam petiit clericos damnandi, qui talia crimina committere ausi essent, rogavitque quid de eorum bonis statuendum esset. Nunc vero inimicitiae inter aulam Romae et regis Josephi in diem crescebant. Papa quidem in universum concedebat, quod ab eo petitum erat, Breve illud scilicet, in quo tamen nonnulli modo indicabantur, a quo vel forma legalis aberat; quum praeterea in epistolis, quas ei adjunxit, improbarentur ea quae in Lusitania erant facta. Hoc suum Breve et litteras misit Papa ad regem ipsum; Pombal vero, cui jam innotuerant quatenam iis continerentur, persuasit regi ut ambo accipere recusaret. Mense Octobris anni 1759 ex decreto regio Jesuitae pulsi sunt, quo facto, regis administer¹⁾ magis etiam augere inimicitias conatus est. Papa nuntium suum Ajaccuoli Cardinalis titulo ornaverat, in animo habens eum revocare; Pombal contra alium accipere noluit, nec quo illum dimittere posset aliquid praetermisit. Matrimonio inito inter regis filiam, coronae haeredem, atque ipsius fratrem Petrum (quibus Papa dispensationem suam dederat) Nuntius, contra quod moris erat, non invitabatur; itaque nullo modo particeps fuit vel esse potuit gaudii publici. Hoc evenit die 6^o mensis Junii anni 1760ⁱ, jam vero die 15^o Nuntius, a militibus deductus, trans fines regni transportatus est, quoniam, ut statuebatur, familiam regiam offendisset.

1) Summa cum saevitia Jesuitae tractabantur: vel cibo carere in trajectu ad Civita-Vecciam. Alii media hieme (a mense Novembr. 1759 ad mensem Januar. 1760) in parvis, omnibus rebus destitutis, navibus degere coacti sunt.

Legatus regius item discessit Roma; nullius amplius rei mutuum commercium erat. Pontifex tamen in universum moderatione usus est, ratione habita temporum, probe sciens quid sibi suaderet prudentia. Ex hisce vero rebus ¹⁾ quae in Lusitania acciderunt, luculenter nobis apparet, quomodo tempora essent mutata. Ut vero constet, quid nobis iudicandum sit de ipso administro, inimicitiarum illarum auctore, hic repetere possimus supra allatum doctissimi Hagenbachii iudicium. ²⁾ Non omnia laudare possumus in viro, qui primis temporibus iudicii Inquisitionis potestatem diminuerat, postea vero eam restituit, quum eam contra Jesuitas adhibere vellet ³⁾. Hic tantum indicare volumus, quantum temporis conditio mutata fuerit, cuius mutationis luculentissimum exemplum afferunt ea quae in Lusitania acciderunt.

Transeamus nunc ad regnum vicinum *Hispaniae*, ⁴⁾

1) Comes A. DE S. PRIEST, l. l. pag. 19, 20, exponens iudicium de Pombale prolatum, tempore ipso quo ille vixit, ait: Philosophos Franco-Gallicos minime cum eo fecisse, varias ob causas; et, quia eorum rejiceret defensionem, et quia Jesuitarum societatem vel eorum principia non damnalet, sed tantum eos nonnihil defecisse argueret ab Ignatii doctrinis, quum ipse tertiae classi ordinis adjunctus fuisset, cujus praecepta accurate sequi gloriaretur. — Et quidem administer libertatis Ecclesiae Gallicanae non ultro rem inceptorat, sed ad Papam scripserat, ut sibi ille daret auctoritatem iudicii proferendi contra clericos. Sic etiam Voltarius in opere: Siècle de Louis XV, T. XXIX, p. 38.

2) Et SCHLOSSERII iudicium, l. l. pag. 20, 21.

3) Voltarius, Diderot, d'Alembert aegerrime tulerunt illam Inquisitionis restitutionem, magnumque favorem ei tributum. — de S. PRIEST, l. l. pag. 21.

Idem pag. 24, 25, rejicit sententiam, foedus Choiseulium inter et Pombalem initum fuisse contra Jesuitarum ordinem, ab his ipsis excogitatum. Non erant amici, neque ullo modo juncti, nisi uno temporis spatio ab ita dicto *familiae foedere*.

4) Praesertim eff. SCHLOSSER, l. l. III. pag. 34—59 et WALCH, l. l. III.

ubi tempore de quo agimus Carolus III^{us} imperium tenebat, qui primum regnaverat in Parmensi regione et Tuscana, dein vero nomine Caroli IVⁱ Neapolitano regno praefuerat, tandem, Hispaniae corona suscepta, illud regnum filio suo Ferdinando impubi tradidit. Quamquam ipse, ut Josephus I^{us} Lusitaniae princeps, toto animo fidem et ritus ecclesiae sequebatur, administratos tamen habebat, qui novum rerum ordinem amantes et praediti multis virtutibus magnaue scientia, multa in Hispaniâ reformare studebant. Rex contra, primis quidem annis regni sui, Jesuitis maxime favebat, et in eorum gratiam ducem Albanum, amicum Pombalis et Choiseulii, ab aula removerat. Sed quum in regni metropoli Madrito gravissimi tumultus ¹⁾ orirentur contra Caroli administrum, res pecuniarias curantem, nomine Squilaci, qui mandata populo minime grata ediderat, Aranda quidam, (vir nobilissimus, Aragonia ortus, a civibus suis anno 1759^o legatus ad Carolum, quum rex creatus erat, missus, tunc in urbe Valenciae summis muneribus fungens, deinde vero praeses consilii Castiliani,) regi suspicionem vel persuasionem

pag. 107—273, qui sub titulo: *Geschichte der neuern Streitigkeiten mit dem Römischen hofe in einem systematischen Zusammenhange* primo loco exponit: *Ursachen der vertreibung der Jesuiten* (pag. 114—121); dein *von betragen der Spanischen Geistlichkeit, und den Religionspflichten, die man dem Völcke eingescharft hat* (ubi agit de litteris pastoralibus, quas Josephus Xaverius Rodrigny ab Arellono, Archiepiscopus Burgensis scripsit ad suas ecclesias), pag. 121—208); tertio loco: *Verordnungen des Königs und seiner Minister* (pag. 209—243); denique *Betragen des Römischen Hofes und der Jesuiten* (pag. 243—273).

1) Tumultus illi ab abbate GEORGELIO, in opere *Mémoires*, T. I. pag. 120, quo Jesuitas ab hacce suspicione liberaret, Choiseulio tribuuntur.

instillavit, Jesuitas seditiones eas movere, ut totum regnum perverterent. 1) Nocte mensis Martii anni 1767ⁱ per totam Hispaniam omnes Jesuitae, plus quam quinque mille numero, capti sunt, eorum possessiones proscrip-tae, ipsi decreto regio e regno exulari jussi. Papa frustra hisce decretis obviam ivit, atque in eorum gra-tiam ad regem scripsit, hic vero respondit, se multas ob causas sic egisse. 2) Litterae tamen, quas Romam misit, multa continebant quae Papam omnino offende-rent, v. c. in iis scriptum erat, Patrem omnium fidelium optime hos servare posse.

Aranda multas alias res reformavit, ut tribunal ec-clesiasticum cui nomen erat Rotae; hoc vero prorsus pendebat ab aula Romana, quia Nuntius Auditorem no-minabat, qui omnes res solus curabat. In posterum ut sex viri indigenae iudices essent, quos suadente rege Papa nominaret, Aranda constituit. Sic etiam monachorum ordines novam institutionem acceperunt, asyla in ecclesiis

1) Jam prioribus annis regni sui Carolus audierat criminationes contra Jesuitas ex America ad se allatas, cohibuerat eorum abusus nimiamque potestatem, et causam archiepiscopi Mexicani Johannis à Palafox, qui gravissimas res contra illum ordinem in medium protulerat, post ejus mortem, defenderat.

2) WALCH l. l. plura memoratu valde digna refert de iis, quae per-pessi sunt Jesuitae in itinere ab ora Hispaniae ad Civita-Vecchiam et dein quum Papa eos recipere volebat, de iis, quae acta sunt in concilio Romae hac de causa. Si ea quae a rege ejusque administro Aranda facta sunt, defendere omnino vellemus, idem fieri posset in ipsius Inqui-sitionis factis! MENZEL, l. l. pag. 24, scribit: „Nur Spanien war so billig, einen kleinen Theil, aus dem Ertrage der eingezogenen Güter des Ordens zum Unterhalte der verbannten Jesuiten anzuweisen.“ Certe stipem iis dederunt, centum quidem vel nonaginta nummorum, quos singulis annis accipiebant!

et locis sacris diminuta sunt, ut et inquisitionis potestas. Nulla bulla papalis promulgari poterat nisi rege permittente. Multae scholae, seminaria et academiae instituta sunt, loco eorum, quae Jesuitae condiderant. Una cum Aranda etiam nominari debent Campomanes, et Figeroa; qui in Hispania idem fere egit, quod Febronius in Germania suscepit. Campomanes, praeclarus scriptor, jurisconsultus et regis administer, summa habuit merita in instituenda nova rerum conditione, quia etiam fines indicavit clericam inter et secularem potestatem, quibus addidit Figeroa fundamenta juris Ecclesiastici. Prior in pellendis Jesuitis auxilium praestitit gravissimum Arandae, scripto edito de uniuscujusque regni jure prohibendi amplificationem possessionum Ecclesiasticarum, nullo vero modo fidem religiosam subruere voluit ¹⁾.

Viri illi eodem tempore cum Tannuccio in regno Neapolitano eadem volebant; de hoc nunc vidcamus. ²⁾

Neapoli Papa plus valebat auctoritate quam rex, quem praeterea prorsus a se pendere statuebat. Clericorum igitur potestati fines erant imponendi. ³⁾ Vix numerare

1) SCHLOSSER, l. l. pag. 57, 58.

2) Quum, ut jam supra animadvertimus, Carolus adhuc imperium tenebat in Parma et Tuscana, in rebus politicis consilio utebatur Tannucci, incliti jurisconsulti, qui Pisae jus politicam docuerat. Etiam Neapoli hic eodem munere functus est, et postquam Carolus, regiam sedem in Hispania occupaturus, regnum filio suo Ferdinando III^o, octo annos nato, tradidit, summa rerum adhuc per octo annos penes Tannuceium fuit.

3) Off. WALCH. l. l. V. S. 3—119, „Betrachtungen über die neuesten kirchlichen Jurisdictional-Streitigkeiten im Königreiche Neapel,“ — et *Neueste Religionsgeschichte* fortgesetzt von Dr. GOTTLIEB JAKOB PLANCK,

possumus omnes episcopos, archiepiscopos, monachos qui in hoc regno degebant; sufficiat memorare in urbe Neapoli ipsa adfuisse id temporis sedecim millia hominum, qui ordini ecclesiastico adscripti erant, omnigenis privilegiis bonisque affluentium. Ut hierarchiam hancee cohiberet Tanucci, inire voluit pactum cum S. Pontifice, quod tamen nullos fere fructus habuit. Idem quominus amplificationes possessionum ecclesiasticarum cohiberet, impediverunt tres legati papales, qui nonnullos tantum abusus, hanc rem spectantes, abrogari voluerunt, uti et diminutionem asyloꝝ concesserunt. Dein pacti statuta in usum rei publicae, quantum poterat, convertit, postea vero mandavit, quidquid utile bonumque sibi videretur. Sacerdotum numerus diminuebatur, brevina papalia sine regis jussu promulgari non sinebantur; valebat idem de iis, quae superioribus temporibus annuntiata erant. Clero interdictum novas sibi comparare

H. S. 1—59. „über die neuern Streitigkeiten des Neapolitanischen Hofes mit dem Römischen.“

SCHRÖCKH, VI. S. 513—520, ubi plura commemorat, quae ad lites spectant inter hoc regnum et Papam.

Jam anno 1723°, PETRUS GIANNONE conatus erat Papae auctoritati fines imponere, edita: „historia civili regni Neapolitani.“ Fuga tamen patriam relinquere debuit, seque Vindobonam contulit; anno tamen 1739° dolo captus, sententias suas Augustae Taurinorum rejicere debuit. In captivitate tamen diuturna anno 1748° mortuus est. — Biographia illius legitur in HENKE's *Allgem. Gesch. der christl. Kirche nach der Zeitfolge*, V. S. 104 sqq.

Idem conatus est ANTONIUS GENOVESI natus anno 1712° Castiglione prope Salernum. Novum theologiae systema, et quidem secundum Philosophiam Wolfianam, in patria docuit. Vehementer *Decretalium* usum improbavit. Mortuus est anno 1769°. Cf. de eo WALCH, l. l. VII. S. 383—452: „Genovesi Epoche für die Kirchengesch. von Neapel.“

possessiones. In continenti decem, in insula Siciliae viginti et octo monasteria sublata sunt; statutum est ut mortuo abbate vel episcopo Papa in posterum non acciperet partem bonorum quae hi reliquissent, neque eorum quae a praebendis vacuis accipere ille solebat.

Jurisdictionis ecclesiasticae suis finibus circumscripta est, et quod omnium illarum reformationum quasi corollarium erat, incitante Hispaniae regno, mense Novembris anni 1767ⁱ eodem modo quo in ceteris civitatibus Catholicis actum est cum Jesuitarum ordine; nullam hujus decreti rationem reddidit declarans, regem Deo soli, a quo imperium teneret, rationem reddere debere.

Si oculos convertimus in Austriam, ¹⁾ videmus Mariam Theresiam Imperatricem, quamquam toto animo adhaerentem fidei catholicae, ita ut eam erga secus credentes satis intolerantem dicere possis, in mandatis tamen, ecclesiam spectantibus, potestatem absolutam monarchicam ²⁾ contra Papam defendentem. Nonnulla exempla

1) Cf. inprimis *Gesch. des Osterreichischen Kaiserstaates* von JOHAN Grafen von MAILATH. Th. V. in *Gesch. der europäischen Staaten*, herausgegeben von Heeren und Ukert, pag. 90 sqq.

2) SCHROCKH, l. l. VI. S. 650 sqq. commemorat, quomodo Maria Theresia Academiam Vindobonensem detraxerit Jesuitarum auctoritati. — Archiepiscopus Migazzi, primis temporibus ordini illi valde oppositus, duumviros doctos ejusdem ordinis ex Italia arcessivit, ut institutionem paedagogicam renovarent. Qui quum, illo duce, hoc perficere nollent, alii duo theologi Italici, Augustini et Dominici ordinis socii, iis auxiliari debuerunt. Jam prior archiepiscopus JOHANNES JOSEPHUS TRAUTSONIENSIS, anno 1757ⁱ mortuus, idem conatus erat. — Ratio et institutio librorum censendorum, seminarii sacerdotalis regendi, ceterarum rerum plurium ab aula proferebantur.

hoc probent. Nuntiis apostolicis lustrationem diversarum imperii regionum minime permisit, nullam bullam vel Breve papale sine placito regio proponi voluit; multos dies festos, utpote agriculturae et commercio admodum noxios, uti et abusum exorcismi, aliaque plura abrogari curavit. Quod attinet ad institutionem monasteriorum, statuit, quas pecuniarum summas liceret in ea secum ferre; item aetatem definivit qua quis vota suscipere posset (non ante annum 24^{um}). Iis qui monasteriis praeerant usus carceris poenae praefinitus est, asyla sublata sunt, in posterum nemo nisi per administrum rerum externarum cum aula Romana rem quandam tractare potuit. Cum Papa ipsi dedisset titulum Majestatis Apostolicae ¹⁾, usa est juribus, quae censebat cum eo esse juncta, dividens scilicet majores dioeceses in minores, novosque episcopatus instituens et plura ejusmodi. Von Kaunitz Imperatricis administer, Gallicae philosophiae principiis imbutus, inprimis harum immutationum auctor fuisse videtur.

Jam vidimus, quae in regno Franciae ²⁾ agerentur, pauca igitur iis hoc loco addamus. Non praetermitte-

1) Jam dederat hunc titulum Sylvester IIus primo regi Ungarico Stephano Sancto. Cf. Alzog. l. l. S. 927.

2) De quo regno egit WALCH, l. l. I. S. 57—144. — Ut legimus in opere comitis A. DE S. PRIEST, pag. 30, concubina regis Ludovici XVI de Pompadour frustra conata erat cum Jesuitis agere nonnullis de rebus; quum vero ad propositum finem pervenire non posset, eos pessumdandi consilium cepit. Commemorat epistolam ab ea scriptam initio 1752i, in qua praecepta sua exponit intimo cuidam, a se Romam misso. Pars illius epistolae, quamquam nonnullis in rebus discrepans, etiam invenitur apud *BunGENERIUM* in opere: *Trois sermons sous Louis XV.*

mus nomen Blasii Pascalis, qui in celeberrimo opere ¹⁾, Jesuitarum principia ludibrio et contemptui tradidit; unde intelligi potest, populum Gallicum in universum Jansenistarum doctrinas, quamquam a natura sua alienas, praestabiliores putasse. Partim tamen suo damno: nam multi quidem mores probos parum curantes, nunc omnia sibi licere existimabant, quae perpetrare vellent, vanis illis sublatis excusationibus, quibus Jesuitae talia quidem facinora cum Christianismi principiis moralibus jungere studuerant ²⁾. Accessit quoque, quod omnia simul crimina, quae fierent in civitate, ordini illi imputabantur. Quum Damiens insidias struxisset vitae Ludovici XVⁱ, Jesuitae item accusabantur ³⁾.

Accedente denique causa illa judiciali Patris nomine la Valette, die 6^o mensis Augusti anni 1762ⁱ Parlamenti decretum ordinem in regno sustulit, civitati utpote perniciosum ⁴⁾. Non omnes tamen in eandem sententiam judicaverunt; inter quos archiepiscopus Parisiensis Christophorus de Beaumont, qui Jesuitas defendit in litteris suis pastoralibus, pariter atque nonnulla parlamenta provincialia, fuerunt. Parlamentum tamen Parisiense lit-

1) *Lettres écrites à un Provincial.*

2) MENZEL, l. l. S. 21. in nota exemplum praebet talis excusationis in libro cui titulus: *Theologia moralis aucta a R. P. Alphonso de Li-gorio. Romae, 1759.*

3) Jesuita MARIANA, Hispania ortus, in opere suo: *de Rege et Regis Institutione*, I. cap. 5. „An tyrannum opprimere fas sit,” ante ducentos annos probaverat Tyranni caedem, eodem tamen animo, quo Bellarminus docuerat licere resistere Papae falsam doctrinam docenti.

4) DE S. PRIEST, in opere laudato, pag. 37^a statuit proprium esse Franco-Gallis principiorum examen praeferre factorum examini. — Contra factum est in Lusitania, ubi principia illa parvi pendebantur.

teras illas comburi jussit et ipso tantum rege intercedente archiepiscopus crimine liberatus est.

Mense Martii anni 1764ⁱ a Parlamento ordo e regno ejectus est, duaeque bullae papales damnatae sunt, quibus Jesuitas defendere Papa conatus erat. Decretum ¹⁾ regium Parlamenti sententiam confirmavit, addita tamen ordinis sociis venia in regno permanendi, si subijcere se vellent, omnibus in rebus, legibus ibi vigentibus ²⁾. Frustra aliquoties Papa ad regem scripserat, tandem in Parlamentum sacrum fulmen vibrare volebat, sed metu coactus ne oriretur schisma quoddam, hoc omisit, at rursus bullam edidit mense Januario aⁱ 1765ⁱ, qua iterum societatem Jesu sibi maxime cordi esse pronuntiavit, et summis eam laudibus ornavit ³⁾.

Non tantum primi illi atque potentissimi Principes ecclesiae restiterunt, sed illi quoque, qui minore potestate fruebantur, idem illud facere ausi sunt, v. c. magister ordinis in insula Maltae. Et Ferdinandus dux Parmae et Piacensae, filius fratris Hispaniac regis et nepos Ludovici XVI, qui habuit administrum, tutorem suum, Guilielmum de Tillot, novas partes sequentem, defendit jura regalia contra Papam clerumque

1) DE S. PRIEST, l. l. pag. 40, 41, exposuit, quibus rebus motus rex ipse Jesuitis adstrictus fuerit: horum causam cum religionis et sua ipsius causa parem putabat.

2) Plura de hac re leguntur apud WOLFIIUM, *Gesch. der Jesuiten*, Tom. III. Lib. XII, pag. 384.

3) Bulla illa, exordium capiens a verbis: „Apostolicum pascendi dominici gregis munus”, in memoriam revocat, a quo viro ordo conditus sit, a quot papis receptus, a quibus principibus defensus, quantis virorum sanctorum nominibus ornatus, quomodo tandem a Concilio Tridentino confirmatus, quem denique pium et sanctum declarat.

Romanum ¹⁾. Praesidium et auxilium a Roma quaerere vetabat; praebendorum causa nulli externae civitati auctoritatem in ducatu exercere licebat; indigenae modo gerere poterant munera ecclesiastica; litterae, decreta, bullaeque Romanae nil valebant.

Papa ²⁾ contra satis facile censuit ducem illum Parmensem cohibere, idque magis, quod regiones illae inde a tempore Pauli IIIⁱ sedi Romanae fuerant subjectae. Quod majoribus principibus afficere non ausus erat, id sine ullo dubio in *suo* ducatu facere non reformidavit. Die 30^o mensis Jan. anni 1768ⁱ pronuntiavit contra ducem Breve suum papale, quod tamquam fundamento nitetur bulla Clementis XIIIⁱ, dicta *in Coena Domini*, qua clerus vetatur obedire potestati seculari, si agitur de ecclesiae juribus, atque minas gravissimas interdicti jactabat et excommunicationis in ducem, administrum, caeterosque rerum illarum participum. Tillotius in edita proclamatione Breve illud tamquam ineptum rejecit, dubitans quidem, num revera a Papa esset profectum; dein die 7 Febr. ejusdem anni omnes Jesuitae trans fines ducti sunt. Papa interim pessimos fructus cepit ³⁾ ex bulla illa:

1) Etiam cum Genua gravissimas Papa egit lites; Genuenses scil. anno 1760^e polliciti sunt 6000 scudas ei, qui visitatorem papalem insulae Corsicae capturus esset. — De iis plura apud SCHRÖCKH, l. l. S. 467—470.

2) SCHRÖCKH, l. l. VI. S. 472—474. — A. DE S. PREST, l. l. pag. 232—235, agit de causa illa Parmensi. Exponit reformationes quas jam inceperat pater ducis, Philippus, quas vero Papa simulaverat se acre non ferre. — Simul vero enarrat idem scriptor, quae res ansam dederit ad edictum, quo rejiciuntur omnia decreta et Brevia Aulæ Papalis, non a principe approbata; quae vero hic praetermittimus, ad privatam quippe historiam illius ducatus magis pertinentia.

3) In ea scriptum erat: „item excommunicamus et anathemizamus

in Coena Domini, quae tantopere omnibus principibus in odio fuit, ut jam Concilium Tridentinum illius formam mitigaret. Nonnulla de ea re legimus apud Pallavicinum 1).

Omnes principes catholici, eandem rationem cum Parmensi duce sequentes, cum eo simul laesi erant. In omnibus civitatibus Breve illud rejectum est, Maria adeo Theresia decretum ei suum opposuit. Tempora mutata erant; bulla illa: „in Coena Domini” ubique induci prohibita est, in Parmensi ducatu vel gravissimae poenae iis statutae sunt qui eam adhibere vellent. Venetia et Genua hoc exemplum secutae sunt. Nuntii Galliae, Hispaniae, Siciliarum regni et Lusitaniae eodem tempore Notas suas ad aulam Romanam miserunt, bullae vel retractationem vel mitigationem fortiter petentes. Papa autem quum negaret, Neapolitani potiti sunt possessionibus papalibus Ponte-Corvo et Benevento, postea Castro quoque et Ronciglione capere in animo habebant, milites regii occuparunt regiones Avignon et Venaissin; dux Mutinensis Ferraram suae potestati subjicere volebat, sed Maria Theresia huic proposito adversabatur; Tanucci declaravit papam auctoritate nequaquam supe-

omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a jure seu ex speciali sedis apostolicae licentia permissis imponunt vel augent, sen imponi vel augeri exigunt.” (Bullarium sub Clemente XIII° I. pag. 117.)

1) „Inter eos convenit, in iis quae spectabant ad principes, suaviter esse procedendum, quandoquidem illorum brachio stativum opus futurum erat. Quamobrem summopere placuit exemplum decreti, missum a Pontifice, in quo renovabantur super his jassa Canorum Conciliorumque antiquorum, et adhibebantur paternae admonitiones, odiosarum anathematum loco.” In Historia Conc. Trident. XXIV. c. 2. n. 5. Ibidem c. 7. decretum XX.

riorem esse quovis episcopo. Parlamentum Parisiense sententiam pronuntiavit inhonestum esse et injustum Breve illud papale. Sic undique tumultus excitati sunt in Papam, auctoritas ejus ab omni parte premi coepit; *aderat quasi foedus aulas inter catholicas, invicem sibi affines, ad jura sua defendenda* ¹⁾ *initum.*

In Germania omnia adhuc in tenebris versabantur, clerus, monachi, Jesuitae omnia in suam potestatem redegerant, revera fuit *terra obedientiae.* ²⁾ Satis sit hoc loco veluti digito indicasse Bavariam, ubi Jesuitae summa gaudebant auctoritate. ³⁾ Itaque in aliis civitatibus catholicis ager quasi paratus erat ad semen accipicndum, adeo ut Catholica pars imperii Romani *tantum impulsu quodam egeret, quo et hic novus oriri posset rerum status.* Subito accidit, quod nemo exspectaverat; liber in lucem prodiit, non Bullonii, ⁴⁾ ut in fronte legebatur, revera Francofurti ad Moenum anno 1763^o, cui titulus: *Justini Febronii Jcti de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reunandos dissidentes in religione Christianos compositus* uno tomo forma quartana. Quis hujus libri auctor erat? Nunquam innotuit Clementi XIII^o, ⁵⁾ cui ille liber gravissimo

1) Jam anno 1761 a Carolo III^o *pactum familiae* constitutum erat inter aulas Borbonicas.

2) SCHRÖCKH., l. l. S. 545 et WALCH., l. l. I. S. 148.

3) Jam aderant tamen melioribus rebus studentes, v. c. Elector Maximilianus Josephus, qui anno 1758 academiam condidit. Cf. SCHLOSSER, l. l. III. pag. 161.

4) Cf. SCHRÖCKH., l. l. S. 533, WALCH. l. l. I. S. 152, alique Walch., ut postea videbimus, non commemorat auctoris nomen.

5) Clemens XIII mortuus est anno 1769. Successor ejus Clemens XIV. regnavit ad annum 1774^{um}.

dolori fuit; neque innotuit ejus successori. Quindecim annis postquam prima editio in lucem prodierat demum regnante Pio VI^o anno quidem 1778^o, toti mundo proditus est. Quomodo hoc factum sit, videbimus infra tertio hujus dissertationis capite, in quo de hujus libri fati, oppugnatione ac retractione agendum erit. Hic vero antequam huic disquisitionis nostrae parti finem imponamus, brevis commemoratio vitae praecipuorumque factorum auctoris sequatur.

Johannes Nicolaus ab Hontheim,¹⁾ e nobili familia natus erat die 27^o mensis Jan. anni 1701ⁱ Treviris. Pater ejus munere functus erat honorifico, mater e gente celeberrima orta. Prima institutione usus est, quod omnino memorari meretur, in collegio Jesuitarum Patrum, quos igitur praeceptores ac magistros habuit. Discipulus atque alumnus fuit illius ordinis, qui haud sine merito propugnaculum ac veluti lapis angularis habebatur potestatis, cui postea maxime nociturus erat.

Juris Canonici et publici magistrum habuit virum doctissimum *von Nalbach*, cui postea successit in munere episcopi Myriophytani et Lovaniae notissimum Juris Canonici Doctorem *Espenium*,²⁾ tandem Lugduni Bavorum Noodtium, Westenbergium et Vitriarium. Die 6^o mensis Aprilis anni 1724ⁱ Doctor Juris Romani et Canonici creatus, defensa dissertatione *de jurisprudentia naturali et summo imperio* obtinere conatus est munus

1) Cf. HERZOG'S *Real-Encyclop.* s. v. in articulo conscripto a H. F. Jacobson.

2) Doctor ille celeberrimus valde in odio fuit nuntio papali, ita quidem ut Lovanium reliquerit et Ultrajectum confugerit. — Exposuit vero rationem episcoporum jurisdictionem inter et sedem papalem.

in iudicio ecclesiastico, sed antequam id ambiret, institutionum curiae Romanae multis itineribus et diuturna commoratione in orbis Christiani metropoli intimiorem cognitionem sibi comparare studuit.¹⁾ Post reditum anno 1728^o creatus est Assessor Consistorii Trevirensis. Anno 1732^o fungebatur munere juris Professoris, sed jam anno 1738^o archiepiscopus *Franciscus Georgius von Schäuborn* eum in aulam suam Coloniam²⁾ vocavit, ubi

1) MENZEL, l. l. pag. 32. commemorat quoque Febrinium nostrum Ultrajecti Jansenistas amicos habuisse. —

Quod vero in libro suo docuerat, in vita sua peregit. Nomine scilicet suo signavit scriptum trium archiepiscoporum ad Rhenum, die 13ⁱ Dec. 1769ⁱ ad Imperatorem Josephum II. missum, in quo hi querebantur de Papa, ipsorum in suis dioecesibus juribus derogante et de nimia pecuniae copia, quam Romam mittere debebant. — Alii contra statuerunt, scriptum illud ab eo non esse profectum.

2) Jus civile docens Trevis, sequentia edidit opuscula 1. *de jurisdictione*, 2. *de usuris*, 3. *quaestiones juris selectae*, 4. *decas legum illustrium*, 5. *de vera jurisconsultorum veterum philosophia*. — Fuit Officialis et intimus referendarius rerum ecclesiasticarum internarum et externarum. Aderat conventibus, in quibus Imperatores Carolus VII. et Franciscus I. eligebantur, ubi fortiter defendit libertatem Ecclesiae Germanicae. Multa ei erant mandata, quum regiones Luxemburgenses, Lotharingensesque ad suffraganatum Trevirensium pertinerent. — Per vitam trium Electorum muneribus suis functus est, scil. Francisci Georgii, Johannis Philippi, Clementis Wenceslai, qui eum fecit Consiliarium Intimum.

Scriptis: „Prodromum historiae Trevirensis diplomaticae et pragmatice, exhibens origines Trevericas, Gallo-Belgicas, Romanas, Francicas, Germanicas sacras et civiles. August. Vindel. 1757. II Tom. Fol. antea vero: „Historiam Trevirensis, diplomaticam et Geographicam.” Aug. Vindel. 1750. III. Tomi Fol. Theses, quas anno 1721^o defendit Trevis, in lucem aparuerunt titulo: „*quaternio thesium juridicarum, ex quadruplici jure canonico, civili, publico et feudali.*”

Plurima de vita Honthemii reperiuntur in iis quae scripsit BAUE in opere: *Allg. Encycl. der Wissensch. und Künste von ERSCH und GRUBER* Trevis multa acta manuscripta auctoris inspexit, e quibus illa protulit.

remansit. Multis muneribus ornatus, et saepius legati munere functus gravissimis in rebus, ad majores honores sensim pervenit, quibus functus est ad mortem fere usque, quam obiit die 2^o Sept. anni 1791ⁱ, in villa sua, in regione Luxemburgensi sita. Itaque ruinae et interitus illius ordinis testis fuit, cui in adolescentia tam arecte fuerat junctus, posterioribus vero temporibus tam adversum se praebuerat. Toto animo incubuit, per omnes horas muneris officiis non destinatas, in studia illa historica, quae eum istiusmodi opinionibus imbuisse videntur, quas postea in celeberrimo opere exposuit. Post studia vero commentationesque viginti annorum librum edidit, de quo nunc nobis erit agendum.

Ea quae legimus in Appendice Prima tomo primo operis subjecta, scitu omnino dignissima sunt, quia ex iis animi indoles auctoris probe cognoscitur. Quum nempe opus integrum in eo esset ut propediem divulgaretur, non dubitavit vir amicus, nec vulgariter eruditus, auctori ex hoc opere, laudabili licet — ut aiebat — consilio incepto, totius Romanae Curiae indignationem et vindictam augurari. „An, inquit, ignoras fata Pauli Sarpii ¹⁾, „et Edmundi Richeri ²⁾, quorum hic stylum ferreum „Romanum prope vidit, ille sensit etiam.”

1) PAOLO SARPI, monachus eruditus et pius, in se susceperat defendere jus civitatis Venetae, certantis cum Papa Clemente VIII^o (1592—1605) qui Decretalium auctoritatem latius extendere volens, de finibus jurisdictionis Ecclesiae gravissimas lites gerebat cum plurimis Italiae civitatibus. Ut alter Paulus, Sarpi Petro sese opposuit, ut scite animadvertit vir cl. HASE in „Geschichte der Kirche,” S. 481a (Belgicae Edit. anni 1861i.) ALZOG, l. I. S. 870, 872. eum dicit *Reipublicae-Theologum*.

2) EDMUNDUS RICHERIUS, defensor erat libertatum Ecclesiae Gallica-

Quis virum non omni aetimatione dignum censuerit, huic dubio reponentem: „Viri *boni* esse vigilare pro „gloria sponsae Christi, et laborare pro reunione Chris- „tianorum; virum *fortem* decere, ut ab honesto hoc „proposito ne objecto quidem discrimine et fortunae „temporalis jactura deterreatur. Insidias vitae Fra- „Paoli structas, (quidquid ipse temere suspicatus fue- „rit) teste Pallavicino in Apparatu ac historiam Con- „cilii Tridentini cap. VI. n. 2. 3. a prudentioribus et „aulae Romanae peritis eidem aulae non imputari, „quippe quae talibus mediis ad se ab hostibus suis „liberandum non soleat uti. Fatum Richerii non tam „Romanorum artibus, quam Cardinalis Richelii ambitioni „tribuendum esse.” Haec revera satis probant Febronium non coeco odio erga Romanam sedem ductum fuisse, contra vero fidem nimis magnam in ejus justitia repo- suisse. Hisce addidit: „propositum suum a causa et „facto binorum illorum virorum toto coelo distare, illos „fuisse osores Papatus, et inimicos Pontificum, qui Lu- „therum et Calvinum habuerunt ductores. Sc S. Ber- „nardum sequi cupere, qui animo amico, et optimo fine „Summis Pontificibus multa exprobravit; *intactis genuinis* „*Primatus juribus*, quibus etiam solidiora fundamenta „substruere conabitur, quam passim faciunt, qui Roma- „nae Curiae, *cum excessu, et cum evidenti damno Ecclesiae*, „adulantur.”

Ceterum optime perspexit scriptor, „quam diversa uti

nae. Mortuus est anno 1631^o ob insidias suae vitae structas, auctore Cardinale Richelieu. Scripsit librum *de eccl. et polit. potestate*. Parisiis 1611^o editum cf. A. BAILLET, La Vie d'Edmond Richer. Liège 1714. — HASE l. l. S. 484. ALZOG, l. l. S. 872.

ait „quin et contraria futura essent tum ernditorum, tum et indoctorum, de his omnibus judicia;” sed, allatis verbis Ruperti Tuitiensis, spem suam atque expectationem exprimit iudicium eorum, qui vivent in posterioribus aevis elementius fore, quandoquidem „tunc „sine nominum dignitate sola judicantur ingenia.”

CAPUT II.

FEBRONII LIBRI DE STATU ECCLESIAE ET LEGITIMA ROM.
PONTIFICIS POTESTATE CONSPECTUS SIVE BREVIS EPITOME.

Febronius ¹⁾ opus suum dicavit *Clementi XIII^o Summo Pontifici, primo in Terris Christi vicario*; accedunt epilogi confecti *regibus et principibus Christianis; episcopis ecclesiae Catholicae; doctoribus Theologiae et Juris Canonici*. De singulis seorsim videbimus.

I. *Praefatio ad Pontificem Romanum Clementem XIII^{um}* dignitate quadam et candore animi magnopere sese commendat. Exhibet quidem Febronius justam erga sedem Apostolicam ac Pontificem Romanum venerationem, quippe qui Petri successor jure salutari mereatur, et primatum in universa Ecclesia legitime teneat; propterea tamen inde ab initio nequaquam anxie celat sibi propositum esse veros hujus Primatus terminos indicare et describere, quos transgredi „sanctae religioni exitiosum

1) Hoc nomine, quod ipse sibi elegit hujus libri scriptor, hunc insignire pergemus, quamquam verum ejus nomen supra jam indicavimus.

esset," hoc consilio, ut Ecclesiae dilaceratae pax restituatur et (sunt verba Leonis Magni quae allegat) „nihil vel ipsis adversariis nostris remaneat in fide dubium, nihil inter nos et ipsos in charitate divisum" 1).

Facile praevidet haud defuturos esse accusatores, qui Pontificis potestatem prorsus a se repudiari alta voce clamant, his vero reponit, se nihil aliud esse oppugnaturum, nisi quod a Christi instituto alienum sit. 2) Profitetur ultro Pontificem Christi vicarium esse habendum, sed addit: cum revera vicarium Christi esse, qui ejus partes suscipit. Quin etiam se sic agentem et talia scribentem optime Pontificali potestati consuluisse persuasum sibi habet. Quid? quod haereticos in dies audaciores atque insolentiores fieri, quisque tunc videret, et primariam hujus rei causam in eo quaerendam esse, quod gravissimi abusus haud tollerentur. Hoc ut probet, ad testimonia de Vargae, Espencae, Joannis Saresburiensis, ac paulo post ad centum gravamina anni 1523¹ provocat. 3) Caveat tamen Pontifex, ne remedia, quibus hunc in finem usus sit, levia magis quam le-

1) „Genuina summa Sedis majestas non consistit in diminutione sed in conservatione Jurium Episcopaliū, et privilegiorum omnium Ecclesiarum."

2) „Ego sane potestatem nullam rejicio, quae ad utilitates Ecclesiae, ad coaedificationem Templi, hoc est ad compactionem membrorum, corporisque Christi conjunctionem pertinere videatur; illam vero, quae dominatum, a Christi instituto alienum, florentioribus Ecclesiae seculis incognitum, iis, qui foris sunt, terribilem quaerit, a populi cervicibus removendam contendo."

3) Gravamina illa continent *Declarationem Statuum Imperii Germanici in Comitibus Norimbergensibus*; de iis cf. G. M. WEBER, „die 100 Beschwerden der Deutschen Nation mit Anm. Frankf. 1820."

nia sint." Finaliter, tanto morbo medicina efficax ferenda erit, si mollia non juvant, succedent aspera." Caveat itidem Pontifex, ne fidem habeat adulatoribus, qui contendant, ipsius et successorum imperium sempiternum fore „Quod veritate oppugnatur, (sic eum exclamantem audimus) diuturnum esse non potest, et invisum imperium, postquam ejus vera indoles cognita est, nunquam retinetur diu. Non omnia posita sunt in eloquentia atque potentia. Est quaedam veritatis, atque sanae doctrinae vis, eaque tanta, ut neque imperio prohiberi, neque viribus superari valeat."

Haud ignorat Febronius, quam parum talia effata, licet verissima, Curialibus (in mente quoque habuit Papam, de quo tamen prudenter silet) placeant. In memoriam sibi revocat verba Gersonii ingemiscientis „quod gravius plecteretur agens contra unum Papae decretum, quam delinquens contra divinum praeceptum et Evangelium" ¹⁾. Sed et hoc nil curat, nec metuit, nec quidquam molestiarum aut incommodi ferre recusat, dummodo reversio ad Christi coctum fiat. Aliud est quod in metu habere debet Pontifex Romanus, quod quam maxime curare ac cogitare eum oportet. Est metus divini iudicii ne audiat Dominum dicentem: „Rejecistis mandatum Dei, ut traditiones ²⁾ vestras statuatis." Quid respondebimus, — sic paulo post Clementem XIII^{um} al-

1) Quibus addit Gersonius verba Christi ad Pharisaeos: „Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras."

2) Sunt verba Romani Pontificis Siricii, qui vixit saeculo IVo, in epistola ad diversos Episcopos, in quibus etiam haec leguntur: „quid enim aliud est, rejicere mandatum Dei, quam privato iudicio et humano consilio novis rebus constituendis liberius delectari."

loquitur — „Tu Sanctissime Pater et ego, brevi ante tribunal ejus, quod omni politica consideratione superius est, comparituri, si stationem nostram deseruerimus; ego, cui ex Patrum dictis et conciliorum actis loquendi qualecunque talentum datum est, *tacendo*: tu in cujus manibus sacra auctoritas posita est, *non operando* conformiter Traditioni, ad nos per eosdem Patres et Synodos fideliter transmissae, sicque optatam illam, ac Deo placitam Ecclesiarum unionem, quantum in nobis est, impediendo. Non hic me excusabunt discrimina, quibus talia proferentes sese solent objicere; neque Te Curialistarum, quorum summopere interest haec consilia impediri, inconcinnae vociferationes. Si adhuc hominibus placeremus Christi servi non essemus.” Verba illa pulcherrima candidaque, nullis praetermissis, commemoranda censuimus, ut perspicuum fieret, qua animi dignitate, ab omni metu remota, Febronius ad ipsum Summum Pontificem verba fecerit, nihil tamen, ut par erat de veneratione ei debita detrahens.

Pontifex eodem candore judicet, quo usus fuisset, si adhuc prudens doctusque Episcopus esset et Venctorum reipublicae nobilis civis; minime vero illaudabile exemplum Pii IIⁱ ut sequatur cum admonet, qui, summos Pontificatus consecutus honores, prorsus aliter de jure Romanae Sedis senserit vel saltem scripserit quam Aeneas Sylvius¹⁾.

Bene perpendat Clemens aulicorum turbam ipsosque Romanos, quum Pontificem ejusque potestatem ad coelum usque extollunt, vana gloriola vel avaritia ductos

1) „Veritas, una est, nec alia nunc erit, quam fuerit ante quinquennium.”

multo magis sua commoda spectare, quam veram Ecclesiae salutem. 1) Inter Pontifices priores haud paucos fuisse ultro fatetur, uti Eugenium III^{um}, Pium V^{um}, Gregorium XIII^{um}, Clementem XI^{um}, qui sancti Bernardi Claverallensis opus *de Consideratione*, ad regendos Pontifices conscriptum, quam maximi facerent. „Et tamen (ita pergit) quid emendarunt ii, quos jam nominavi, Pontifices? Nihil. Quid obstitit? Aulici.”

Precibus ad Deum missis, ut sub Clementis XIIIⁱ pontificatu, haereses prosternantur, abusus tollantur, primaeva instituta et sanctorum disciplina ubique efflorescant, finem huic suae Epistolae Febronius imponit, Anselmi Cantuariensis verba sua faciens, itaque a Pontificis sapientia exspectans, „fore ut, si quid in Ecclesia corrigendum sit, illius censura castigetur, id vero, quod regulam veritatis servat, illius auctoritate corroboretur.” 2)

Sequitur epilogus ad *Reges et Principes Christianos*.

Experientiam semper comprobasse censet Febronius

1) „Nosti Romam, nosti genium Curiae; attollunt Romani Papam ultra modum, ut se pascant, repleantque marsupia denariis: colunt Te solum propter se et ad sua desideria: Rege, sicut illi Te regere non amant, abdica quae primitus et legitime Tibi non sunt data, et illico videbis, quid Tui loco coluerint, quidque sibi avaritia decedere conqueratur.” Quod explicat, exemplo allato nonnullorum Pontificum exterarum Nationum, qui dicuntur „viri sancti atque ad rectum tendentes,” in quorum numero Adriani VIⁱ nomen invenitur.

2) Jam ante eum admonuerat, ut *non serviret Curialium desideriis*, dicens: „Esto firmus in via Domini, et in veritate sensus tui, et scientia; et prosequatur Te verbum pacis et justitiae. Cogita, quod Deus talium laborum, vere Apostolicorum, solus sit remunerator; neque enim in aliquo alio salus, nec spes apud homines ulla.”

verba illa Gregorii Magni „pacem reipublicae ex universalis Ecclesiae pace pendere.” Multa enim exstant exempla pacem perturbatam esse dissidiis religiosis et ecclesiasticis. Commemorat funestos exitus Henrici IIIⁱ et IVⁱ, insidias vitae structas Ludovici XVⁱ. Principes igitur veros limites principatus defendere omnino debent, jura autem Primatus Papalis intra suos fines cogere, id quod mandandum est „viris probis, doctis, nulloque nexu Curiae Romanae addictis, praesertim Episcopis.” Hoc quondam Papa jam Imperatori cuidam mandaverat ¹⁾ et Theodosius Magnus Coelestinum Papam in eandem sententiam loquentem audiverat ²⁾.

In Concilium Tridentinum, quo res summi momenti agitatae sunt, sed incertae manserunt, vetus adagium hocce vertendum est: „Citius clavam Herculi abstuleris, quam Romanis sua praetensa jura.” ³⁾

Exigit tamen pax universa, ut iis non perpetuo in-

1) Papa Leo ad Imperatorem Leonem scripserat: „Debes incunctanter „advertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed „maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam.” — Et partes hujus exterioris Ecclesiarum praesidii in eo ponit Febronius, „ut principes non permittant Ecclesiarum legitima jura ab exteris Ecclesiis (itaque, quod reticet, etiam a Romana) usurpari.”

2) „Major vobis fidei causa debet esse, quam regni; ampliusque pro pace Ecclesiarum Clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Sequentur enim omnia prospera, si primitus quae Deo sunt cariora serventur.”

3) „Circa universale Ecclesiarum regimen tres etiam maximi momenti quaestiones, quae omnem, quam hic tractamus, materiam potuissent exhaurire, in eadem Oecumenica Synodo agitatae sunt: scilicet de *praetenso universali Episcopatu Romani Pontificis*: de *mediatâ, aut immediatâ aliorum Episcoporum jurisdictione*: demum de *Regularium exemptione a jurisdictione Ordinariorum*.”

dulgendum sit. Pro Ecclesiis iterum conjungendis antea solemnia colloquia et disputationes institutas esse commemorat, quae nullos fructos protulerant; itaque non amplius ea remedia adhibenda sunt, neque recurrendum est ad arma, quibus Deus non benedixit; et si spectas praedicatorum et scriptorum fructus, parvi illi sunt momenti, nam „saepe vincitur intellectus, voluntas vero non vincitur.” Unde vero factum est, ut medicinae illae hactenus parum profuerint? „quia medela voluntatum non inde quaesita fuit, unde processerat origo mali morbi, origo vero illa sane erat odium Pontificii dominatus.” Unica igitur ad desideratum hunc finem semita superest: „ut omnis materia *Disciplinae* reducatur in eum statum, quo in origine fuerit.”

Ad *Episcopos Ecclesiae Catholicae* tertio loco se convertit scriptor. Hoc quidem minime mirum videri potest, quandoquidem eorum causa potissimum hic agitur, qui quum habeantur pro Apostolorum successoribus horum et officiis et juribus rite gaudent. Indicat, eos magna horum parte privatos esse. Is, qui hoc perpetraverit, certe non ecclesiae utilitatem ob oculos habuit. Origo hujus mali perquirenda est, ut primitiva potestas restituatur. Quod vero non ita accipiendum est ut aliquid genuinis juribus universalis primatus derogetur, sed ut cuncta ad primam institutionem revertantur. Optat vero „ut sancta sedes se ipsa tueatur. 1) Prae-

1) Quibus addit: „quod fieri non potest, nisi illa se respectu aliarum Ecclesiarum conformiter ad institutum Christi et ad mores Patrum suarum habere tandem incipiat, sponteque sua inclinet.” — Tunc nihil noxii sed multum boni Sedi illi eveniet, secundum dictum poetae:

tensorum illorum, quae vulgo dicebantur, iurium defensionem indicat summa protulisse damna; nam justae querelae variis temporibus auditae sunt; multi populi, ad Reformationem sese vertentes, ab Ecclesia defecerunt; nam initio non de doctrina, sed de moribus ac politicis rationibus Curiae agebatur. Episcoporum officia hac in causa explicat; 1) difficultates vero, in quas certe incidere, metum non proferre posse existimat. „Timor (inquit) in Episcopos, suo munere fungentes apostolico, non cadit, aut saltem cadere non debet.” Quos vero fructus inde acciperent? adversarii, auditis Episcoporum responsionibus, exclamarent: „nemo me ad hunc usque diem ita allocutus est.” Sed ut eo pervenirent, abesset omnis avaritia et cupiditas, magis sibi quam Ecclesiae consulentes 2) „uno contra spiritu, et conjunctis viribus hanc causam suscipientes,” fortes essent, „Romanaque Curia nunquam in conjunctos auderet, quod in divisos exerceret. Sic iis esset persuasum, Ecclesiasticum regimen aeterna veritate ac Patrum traditione niti oportere.”

Postremo loco auctor *Doctores Theologiae et Juris Canonici* alloquitur. Initium facit a describendis causis, quae effecerunt ut monarchicus status, tamquam genui-

(Euripidis in *Oreste* vs. 908 sqq.): „Quicumque recta consulunt semper, etiamsi non statim, tamen postea sunt utiles urbi.”

1) „Sane vestri est officii, quos etiam ad universo gregi attendendum *Spiritus Sanctus* posuit (Acta XX. vs. 28.) laboranti Ecclesiae hac in parte consulere et succurrere.”

2) Febronii audacia veritatisque studium omnino laude digna sunt, quum „pluralitatem Episcopatum, translationem ad focundiores cathedras, promotionem nepotum etc. inescationes dicit, quibus plerumque Romani Episcopos, agere aliquid contra Curiam volentes, adlectant.”

nus ac universus ubique receptus sit, et per totum Occidentem stabilitus. Indicat formam illam in *Decretalibus* et *Clementinis* fundamentum habere; has vero Canonum collectiones Gregorium IX^{um}, Bonifacium VIII^{um}, et Joannem XXII^{um}, legum in modum non vulgâsse solemniter, sed eas ad Doctores et Scholares in celeberrima tum Bononiensi¹⁾ academia degentes direxisse, ut ab illis traderentur, ab his vero inde haurirentur sacrae Monarchiae fundamenta.

Quid illorum studia effecerunt? ²⁾ Haereses non extirpatae sunt. „Videamus quis proximus attingat ad metam,” ita exclamat, denegans Christum talem dedisse formam Ecclesiae, quam declaravit *liberam*, non *servam*. Doctrinam vero quae hisce accedit „*de Infallibilitate Romani Pontificis*” meram opinionem dicit „*in fidei controversiis nullius momenti*.” Aperte declarat, quid censeat de Monarchismo, quid de Primatu Apostolico Romano. ³⁾

1) Saeculis XIII^o, XIV^o et quod excurrit utriusque Juris studium Bononiae ita florebat, ut eo magnus numerus juvenum conflueret, unde principia illa latius spargebantur.

2) Qualem potestatem Papae sibi tribui voluerint, satis patet e dictis, quibus Doctores illi utebantur, quae vero rejiciuntur prorsus a Febronio. Sunt istiusmodi: „De potentia Papae disputare, sacrilegium est. — Papa est causa causarum, unde non de ejus potestate inquirendum est, cum primae causae nulla sit causa. — Est princeps principum; quasi Deus in terris. — Est supra jus, supra leges, supra Canones; contra has omnia potest. — Episcopi ejus sunt vicarii, meri officiales. — Papa a nemine judicari potest.” cett.

3) De his rebus sic judicat: „Monarchismum, ope falsorum Decretalium, non spiritu Dei, sed mundi, in Curiam intrasse, et sustinere se fecisse per vulgarem doctrinam Scholae. Dominatus doctrinam minime Evangelicam se abominari, non vero dogma Primatus Apostolico-Romani,” quum non ferenda sit in Ecclesia quorundam Christianorum

Jam ante oculos sese habere dicit, calamos adversus suum opus motos, indicemque librorum prohibitorum Curiae Romanae; calumnias exspectat, simul nomen suum cum Pauli Sarpi aliorumque nominibus contemtu deditum iri. Justitia vero exigit ut cum judicare nolint, antequam eum audiverint. Illud vero judicium eo majore cum fiducia exspectat, quia ea quae proposuit, profluunt ex sanis doctrinis, quae inveniuntur in operibus Joannis Gersonii, Benigni Bossuetii, Natalis Alexandri et Claudii Fleury. ¹⁾ Nequaquam vero horum auctoritatem tanquam coecum se secutum esse, sed fontes ipsos adiisse declarat.

Obtestatur eos, qui ad ipsum refellendum sese accincturi sunt, ut id ita faciant ut Christi sectatores veri nominis decet; non odio Theologico ducti, v. c. truncando quae plene proposita fuerant et verba contorquendo in sententiam a scriptoris mente alienam. Valere eos jubet, ²⁾ repetens consilium quod sibi proposuerat, scilicet pacem Ecclesiarum componendi, quam semper honestum erit desiderasse et ad eam conciliandam allaborasse. Verba vero, quibus sermoni finem imponit, omnino memoratu dignissima sunt luculenterque ostendunt, auctorem sibi consciuum fuisse, se non solum veritatis studio esse du-

sententia: „quasi universis plus possit unus, et tanta possit, quae prudentis viri animum perecellunt.“

1) Quos viros hoc encomio ornavit huius libri scriptor: „quorum scriptis Ecclesia tantum debet, ut nulli in hoc genere post Sanctos Patres debeat amplius, ac quorum virtutem et insignem eruditionem ipsa Romana Curia non potest non suspicere.“

2) „Sponsam Christi sincere ac prudenter (id est, Papam propter eam) amate!“ Hoc enim principium inter eos omnis dissensionis est habendum quis, prius vel magis sit colendus? Papa an Ecclesia!

etum, sed etiam librum suum veritate ipsa eorum quae proposuerat se commendaturum esse. Ita scripsit: „quod si vel omni etiam fructu destituatur votum, spes et opera mea, dicam tamen confidenter cum Profeta: 1) „Etsi frustra laboravi, et vane fortitudinem meam consumpsi, iudicium tamen meum cum Domino est, et opus meum cum Deo meo. Et licet Israël non congregetur, glorificatus tamen sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea.”

Itaque pervenimus ad ipsum Febronii opus, cujus conspectum vel brevem epitomen cum lectoribus communicare nobis proposuimus. Divisit opus suum in IX Capita, quae iterum pluribus constant paragraphis, et sic inscribuntur:

Cap. I. De exteriori forma regiminis, quam in sua Ecclesia Christus Dominus instituit.

Cap. II. De Primatu in Ecclesia, et genuinis ejus Juribus.

Cap. III. De incrementis Jurium Primatus Romani, illorumque ansis tum fortuitis et innocuis, tum sontibus.

Cap. IV. De causis, quae vulgo majores vocantur.

Cap. V. De Legibus Ecclesiasticis, earum pro universali Ecclesia ferendi jure, et de Appellationibus ad Romanum Pontificem.

Cap. VI. De Conciliis Generalibus.

Cap. VII. De auctoritate Episcoporum ex Jure Divino.

Cap. VIII. De libertate Ecclesiae, ejusque restaurandae jure et causis.

Cap. IX. De mediis recuperandae Libertatis Ecclesiasticae.

1) Jesaiae Vaticin. cap. XLIX. s. 4, 5.

CAP. I. *De exteriori forma regiminis, quam in sua
Ecclesia Christus Dominus instituit.*

Duos Febronius commemorat fontes, e quibus status Ecclesiae effici debet, *S. Scripturam* et *Traditionem*. Ultramontani, suas sententias de *forma monarchica* defendentes, provocare solent ad Matth. XVI. s. 18. et Joann. XXI. s. 15, 16, 17. ¹⁾, et quod ad Traditionem attinet ad varia SS. Patrum effata. Quosdam Patrum locos obsistere videri demonstrat Febronius, magis tamen *ad speciem*, quam revera, quos vere Romani in suum usum adhibere omnino conati sunt.

In universum in rebus Theologicis et Canonicis hunc ordinem servandum esse putat, ut primus detur locus S. Scripturae, secundus Traditioni, tertius Rationi Humanae. Duos priores semper inter se amice convenire statuit, simulque ea esse summi momenti argumenta historica. Minime vero quidquid e ratione ducitur alienum est a spiritu divini verbi, scripti vel traditi, et a sensu genuinorum Canonum. Sed rejicit prorsus illas *argutias verborum scholasticasque illas distinctiones*, ab academiis principibus Italiae Theologiaeque Scholasticae de-

1) Jam hoc loco animadvertit, se non facere cum iis, qui in interpretandis sacris libris, tamquam „sophistae verbosi” magis ingenio suo indulgent, quam attendunt ad genuinas interpretandarum S. Scripturarum regulas. Praefert „*sensum patrum dialecticis ratiociniis,*” et in universum inclinat ad praecepta, quae commendat Vincentius Lirinensis in Commonitorio cap. 32^o, ubi sequi suadet „*Catholicae Apostolicaeque Ecclesiae universitatem, antiquitatem, consensionem*, porro *novitatis profanitati antiquitatis religionem* praefendam esse ait, cett. Ad probandam illam antiquitatis religionem *Traditione* potissimum utendum est, quum *usus constans et uniformis disciplina* plerumque certa sint.

ditis sensim sensimque propagatas, quae profecto etiam magna pro parte Innocentium III^{um} auctorem habuerunt, cui debentur multa capitula Juris Canonici ¹⁾).

Diversae a Febronio commemorantur sententiae de loco Matthaei, cap. XVI. vs. 18. „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevallebunt adversus eam.” Excerptis fere triginta quinque Patrum et scriptorum antiquorum commentariis, qui hunc locum accipiunt *de fide seu confessione Petri*, etiam nonnulli Pontifices Romani ²⁾ memorantur idem judicantes. Alii, ut Augustinus, Petram intelligunt Jesum Christum, fundamentum et caput Ecclesiae. Quemadmodum Petrus hoc loco Domino, omnes interroganti, suo et condiscipulorum nomine responderat, sic putat Febronius Christum in responsione ad Petrum reliquos quoque Apostolos in mente habuisse, et sic auctoritatem annunciandi Evangelii regundaeque Ecclesiae pariter omnibus dedisse; quam sententiam jam saeculo VIII^o approbatam fuisse, allatis ex Pseudo-Isidoro testimoniis asseverare nullus dubitat. ³⁾

1) De Pontifice illo sic judicat: „Ecclesiae praestitisset, hunc Pontificem non tam juvenem electum fuisse, nec studuisse Bononiae ac Parisiis, ubi theologia scholastica regnabat.” F. p. 12.

2) Qui commemorantur apud Natalem Alexandrum in Hist. Eccl. Tomo VIII^o. pag. 375.

3) In Decretali supposita Analecti. In Leonis Papae Serm. II^o in anniversario suae assumptionis cap. 3^o omnia fere continentur simul et junctim, quae *ad speciem diversa* e Patribus retulit scriptor in eum Matthaei locum sc.: a.) *fides Petri*. b.) hinc conjuncta *Universalis Ecclesiae fides*. c.) *adversus quam* portae inferi non praevallebunt. d.) *perseverans in Petri successoribus sollicitudo omnium Pastorum, et ovium his creditarum, id est, sollicitudo omnium Ecclesiarum ad sensum ver-*

Febronius non putat, Patres agnovisse his verbis Christi formam Monarchicam Ecclesiae datam esse, quasi reliqui Apostoli tantum vocati fuerint *in partem sollicitudinis* cum eodem Petro; quamquam minime negari potest, nonnullos eorum Patrum, data occasione, de Romano Pontifice, tamquam Principe Ecclesiae, satis magnifice locutos esse. Expositis nonnullorum Patrum sententiis de Primatu Papae, talem primatum non rejicit, qui fines *directorii* et *formae* non excedat, nec impediatur quominus reliqui Apostoli pariter censeantur constituere, et revera constituent *fundamentum Ecclesiae*, ita ut simul cum Petro, *immediate* a Christo claves Ecclesiae acciperint. Quando vero Petrus tanquam *fundamentum* Ecclesiae designatur, quid tunc statuendum? Ut sine fundamento non stat aedificium, ita sine aedificio fundamentum nomen suum non meretur. Sic etiam in Ecclesia, Petrum fundamentum habente, „quatenus, nisi structura Ecclesiae eidem innitatur, facile sit casura in nihilum” non vero illo sensu, quasi sola Petra, tanquam fundamentum, etiamsi moles Ecclesiae suo fundamento nexu indissolubili nequaquam cohaereat, nihilominus illius immobilem firmitatem suffulciat.” Deinde explicat quanam sit illa *immobilitas*.¹⁾ Animadvertendum tamen est, hasce considerationes non primum profectas esse a Febronio

borum Apostoli, ad Corinthios Epistolae IIae, cap. XI. s. 28. e.) fundata in Primatu, a Petro in Romanos Pontifices quasi hereditario jure translato. F. p. 18.

1) „Inde praecipue habetur, quod Christus se ita suae Ecclesiae provisurum promiserit, ut, quoties illius necessitas id exigit, inter Pontifices et Corpus Episcoporum summa semper concentratio et contesseratio sit futura.” F. p. 20.

sed a Gregorio Zallwein ¹⁾ in libro cui titulus: „Principia Juris Ecclesiastici:” ubi leguntur verba supra allata ²⁾).

Conspiratione ea sententiarum inter Pontifices et Concilia omnino opus esse, ut pax fiat in Ecclesia, et ut controversiae, lites et causae haeresium terminari possint, testes sunt causae Rebaptizantium (Novatianorum) et Quartodecimanorum, in Concilio Nicaeno; et causa Trium Capitulorum in Concilio Constantinopolitano II^o, „dum cum Pontifice se Ecclesia, et Pontifex se junxerit cum Ecclesia.”

Quod attinet ad interpretationem loci Joannis Cap. XXI, etiam haec Christi verba ³⁾ cum Patribus ita accipit, ut in Petri persona ad omnes pastores Ecclesiae directa fuerint. Rejicit omnino distinctionem scholasticam inter *agnos et oves*, quasi per hos *episcoporum*, per illos *ceterorum fidelium* cura, Petro secus ac aliis Apostolis commissa, sit intelligenda. ⁴⁾ Concludit tandem: „Romanorum sententiae in sacris litteris nullum inveniri solidum praesidium; proinde eorum desiderii, quoad certiora attulerint, hac in parte in Episcoporum aliorumque gravamen et praesudicium, concedendum non esse.” Quo facto

1) Rectore Magnifico in Universitate Salisburgensi.

2) Tom. I^o. Quaest. IVa. cap. 2^o. 114a.

3) Joannis XXI. s. 15, 16, 17.

pasce agnos meos.

pasce oves meas.

4) Illam distinctionem dicit „imaginarium subtilitatem, antiquitati incognitam, noviter adinventam ad sustinendam absolutam potestatem Romani Pontificis.” — „Quum in verbo *pasce* nulla sit auctoritas, quae non aequae, imo amplius recurrit in Christi dictis; quando omnes Apostolos” alloquitur ut v. c. legimus Joann. XX. s. 21. Matth. XXVIII. s. 19. F. p. 22.

transit ad alios S. S. locos, qui in hanc rem allegantur. In universum censet Febronius Romanae Curiae advocatos abuti Scriptura Sacra, nonnullos textus in suum usum vertentes ad nimis augendam potestatem Romani Pontificis 1). Sic verba in Lucae Evangelio cap. XII. s. 42: „fidelis ille dispensator et prudens, quem „constituit Dominus super familiam suam” perperam ad Petrum referuntur et successores ejus, ut dicunt Catholici, Pontifices Romanos. Caeterum inconcussam manere Bossuetii regulam statuit: „non ex proprio cerebro, vanisque ratiocinationibus Christianae Reipublicae formam effingendam esse, sed Scripturarum et Traditionis ope demonstrandum esse, *Ecclesiasticam* Monarchiam sub Christo praecipuo Monarcha constitutam, ad formam Monarchiae *saecularis* penitus institutam esse, quod falsissimum est.”

Deinde contra Romanorum sententiam affert silentium S. S. in re tanti momenti. 2) Nil quoque occurrit in Apostolorum Actis, unde appareat, caeteros Apostolos suspexisse Petrum ut *Magistrum* et *Praeceptorem*

1) Ut ex scriptoris nostri sententia fecit BELLARMINUS, in libro II^o de Conciliis cap. 17. Febronius commemorat BELLARMINUM jam ab aliis accusatum esse violatae regulae Concilii Tridentini, quam Sess. IV^a statuerat de interpretatione Scripturae Sacrae „ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum Sacram Scripturam ad suos usus contorqueus, eandem contra unanimum consensum Patrum interpretari audeat.” F. p. 23. Quodsi quaeritur de unanimo illo Patrum consensu, indicat Febronius BELLARMINI interpretationem eorum testimoniis omnino non niti, quum praesertim NATALIS ALEXANDER alio sensu ea interpretetur.

2) „Quasi Christus suae Ecclesiae non satis prospexisset, quum neque Patres, neque integrae provinciae et regna, de caetero apprime Catholica, adhibito impigro studio, in paucis illis textibus allatis, sensum, quem volunt Romani, unquam invenire potuerint.” F. p. 24.

suum. 1) Contra ex sententia auctoris Actorum cap. VIII^o s. 14. de Petro sermo est „tamquam subdito Ecclesiae.”

Rejicit porro Tournelii cujusdam studium excusandi Bellarminum, 2) statuentis, communem illum Patrum consensum, etiam ex Ecclesiae decretis, non unicum esse regulam interpretationis cujusdam textus, quoniam „ex innumeris scripturae locis nihil theologice colligi possit, cum pauca sint, quae Patres varii varie non explicaverint.” At minime hoc Febronius admittit, „quandoquidem mens Tridentini Concilii circa Scripturarum interpretationem hac sententiâ *aperte* violatur.” 3)

Probare pergit ex Scriptura Sacra, formam Ecclesiae minime esse Monarchicam; itaque, postquam primum exposuit statum Monarchiae in Ecclesia, nullum habere firmum praesidium in Scriptura Sacra, a negativa ad positivam argumentationem procedit, quae huc redit: e dictis S. S. probari posse: „Ecclesiam et eam repraesentans Universale Concilium, auctoritatem suam immediate a Christo habere, adeoque supra Petrum ejusque successorem Romanum Pontificem esse collocatum;” haec autem docent Joann. XIV. s. 16. Matth. XVIII. s. 20. I. Tim. III. s. 15. 4)

1) „A cujus nutu et voluntate illorum ministerium dependerat.”

2) In opere: „Praelect. Theol. de Ecclesia.” Tom. II. pag. 201.

3) „Ut si tali modo privato spiritu (ex quo tamquam ex perenni fonte errores prope innumeri emanarunt, et Dei Ecclesiam conturbarunt) in sacros textus, neglecta Patrum expositione, debacchari liceret, tam esset facile ex iisdem locis, quibus BELLARMINUS hic utitur, unumquemque alium Episcopum, imo et laicum supra Ecclesiam ponere; quo nihil est absurdius.” F. p. 26.

4) Quibus accedunt verba in Act. Cap. XV. s. 28. „Visum est Spiritui Sancto et *nobis*.” Eodem sensu jam acceperunt illa verba Patres Con-

Et quae leguntur Matth. XXIII. s. 8. sane toto coelo disstant ab omni sententia formae Monarchicae; itemque apparet e Matthaei loco cap. XVIII. s. 15. ¹⁾ *Ecclesiae auctoritatem potiore esse dignitate Papali.* ²⁾

Sic concludit: Pontificem minorem esse auctoritate Universalis Concilii „repraesentantis nomen Christianum totum”, quo igitur verba Domini quae leguntur Matth. XVIII. s. 18. ³⁾ referenda sunt. „Quis autem dubitet,” ita rogat Febronius, „uni membro minorem competere auctoritatem quam toti corpori” addens „in nullo statu Monarchico subditi unquam dicti sunt *fratres* sui Regis, princeps una cum iis *membrum* Reipublicae.” Ad quaestionem vero quid *Monarcha* sit? verbis Petavii respondet, ⁴⁾ simul ostendens Petrum non gavisum esse iuribus status Monarchici, quum Christus ipse „singulari et immediata vocatione Apostolos vocaverit,” eosque non ad Petrum miserit, ut ab ipso suam potestatem reciperent.

cilii Basileënsis, ad Eugenium IVum Papam scribentes: „Blasphemia esset, si quis negaret Spiritum Sanctum dictare sententias, canones et decreta Conciliorum,” in eundem usum vertentes Christi verba, quae leguntur Joannis Evangelio, Cap. XV. s. 26. F. p. 27.

1) Hoc argumentum, ex Matthaei illo loco depromptum, late exposuit GERSONIUS in Tractatu *de Potest. Eccl. Consider.* IV. cit. Tom. II. col. 231.

2) Ubi leguntur „*dic Ecclesiae*,” et Febronius *fratris* nomine etiam „Papam intelligit, aequè circumdatum infirmitate et peccato obnoxium.” — „Sic Paulus reprehendit Petrum non recte ambulantem ad veritatem Evangelii.” (Ad Gal. Pauli Epist. cap. II. vs. 11. sqq.) F. p. 28.

3) „Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.”

4) Lib. III. de Eccl. Hierar. cap. 15. „cui regendi, gubernandi, imperandique suprema et ultima potestas incet, a qua Magistratum omnium auctoritas manat, dispersa per singulos, et ad eam tanquam fontem revocatur.” F. p. 31.

Si quaeritur quamnam potestatem Dominus Christus Ecclesiae tradiderit, quomodo illa exerceatur, Febronius statuit: „potestatem clavium universitati Ecclesiae a Christo datam esse; illam hanc per Ministros suos exercere, inter quos Romanus Pontifex primarius quidem est, nihilo tamen minus Universitati subordinatus.”

Quae hoc loco proposuit, ea communem referre sententiam Theologorum Galliae, tam veterum, quam recentiorum, allatis testimoniis probat. Concilium etiam Tridentinum hanc agnovit doctrinam,¹⁾ licet eo tempore necdum esset suspicio de falsitate Isidorianarum Epistolarum, quae omnem auctoritatem Ecclesiasticam Romano Pontifici tribuunt; quibus expositis exclamat auctor: „Tanta est vis veritatis!”

Ita colligit: Ecclesiam *juxta propriam suam dispensationem*, id est, *Canone regi*; *Conciliorum* auctoritatem superiorem esse illâ *cujusque Ministri*, etiam *summi*; Papam non posse abrogare legem in Concilio Universali latam, aut ab ejus observatione dispensare, nisi de consensu *saltem praesumpto* Concilii; id est *in ea causa*, in qua Concilium ipsum dispensaturum fuisset; episcopos in generali synodo congregatos, esse judices omnium controversiarum ecclesiasticarum, et personarum, et ipsorum etiam Pontificum Romanorum, si in fide, officio vel moribus peccent; frequentem Conciliorum celebratio-

1) In Sess. XIV. can. 15 et XXV. cap. 21. Idem statuerant jam Patres nonnulli, ut Tertullianus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Gregorius I., Beda Venerabilis, quorum verba Febronius commemorat, haec tantum Gregorii, ipsius Pontificis, afferens: „quod antiquis usquam dicitur, modo Universali Ecclesiae dicitur, quodcumque ligaveris super terram ... etc.” F. p. 37.

nem perutilem esse et vix non necessariam. „Profligatis captiunculis ¹⁾ adhibitibus a Romanae Curiae fautoribus ad declinandum genuinum ac integrum hac in parte Ecclesiasticae Traditionis sensum, observat tales interpretationes non exhaurire totam vim Traditionis a Patribus transcriptae, quod una cum eo iudicat Natalis Alexander. ²⁾

Pergit Febronius demonstrare e S. Scriptura omnium Apostolorum in Ecclesiastica potestate aequalitatem ³⁾ salvo Petri Primatu, eo nempe sensu quo scriptor noster

1) Captiunculae illae erant v. c. „claves in persona Petri non tam ipsi Ecclesiae, quam *in commodum totius Ecclesiae* datas esse. Vel Ecclesiam accipientem claves, intelligendam esse *de Primatu Petri, non morte Petri finituro*, sed perpetuo ejus successoribus adhaesuro.” F. p. 38. Nonnulli etiam Protestantes nostrae aetatis, inter quos vir celeberrimus H. A. W. MEYER, in loco Euangelii Matthaei cap. XVI. s. 18. concedunt primatum quendam Petro inter alios Apostolos datum fuisse. Observant tamen, Christum nil statuisse de illius successoribus, quos negant esse Romanos Pontifices. Aliae interpretationes verborum *καὶ ἐπὶ πάντη τῇ πέτρᾳ*, quasi haec non ad Apostolum ipsum spectarent, sed ad illius indolem speciatim indicatam v. c.: *ad ejus fidei stabilitatem*, a MEYERO rejiciuntur.

2) In Hist. Eccl. Saec. XV, XVI, XVII. Diss. VIII. n^o. 54.

3) Affertur ab auctore textus ille clarus ac perspicuus, nil dubii relinquens, Lucae Euangelii cap. XXII. s. 24, 25. et Pauli ad Galatas Epistolae cap. II. s. 7 sqq. In allato Lucae Euangelii textu, ex auctoris sententia, non *de temporali regno*, inter illos instituendo, sed *de Ecclesia* sermo est, a qua Dominus statim Monarchicum exulare voluerit, *Regis* praecellentiae munus *Praecessoris* opponens; simul refutat Febronius Cardinalis Orsi de hoc loco opinionem in libro *de Rom. Pontificis Auctoritate*, Tom. III. Lib. VII. pag. 599. scil.: „Ecclesiasticam Monarchiam ad formam Monarchiae *saecularis* non esse institutam, quantum ad *dominandi fastum* et libidinem, opum amplitudinem, et omnem exteriorem apparatus ac splendorem; bene vero *quoad vim Principatus*, in eo positam, ut universa Respublica unius mente et imperio regatur.” F. p. 41.

hunc accipi voluit. Inquiret deinde quaenam potestas speciatim ex illa confirmetur, denique quaenam ab Apostolis in Synodo Hierosolymitana gesta sint.

Statuit ex hac inquisitione manifestum fieri primitivae Ecclesiae, tam sub Apostolis, quam sub Episcopis, qui in illorum locum proxime successerunt, formam regiminis Ecclesiastici, Monarchiae fuisse oppositam.

„*Exceptis solis functionibus Primatus,*” nihil quidquam assignari posse statuit, quod Petrus fecerit, quod autem ceteri Apostoli, etiam *Vicarii Christi*, non fecerint.” Fusius exponit de iis quae acta sunt in synodo jam indicata Hierosolymitana, „e cujus simplici analysi forma regiminis Ecclesiastici facile et certo eruitur,” quibus explicitis iis quae tunc acta sunt, addit: „convincentius argumentum non posse adhiberi contra statum Monarchicum, si ageretur de forma veteris cujusdam Reipublicae determinanda.” Atque haec Curiae quoque fautoribus non incognita esse, sed eos perfugiis uti, indicat.¹⁾

Habet synodum illam pro norma Conciliorum Ecclesiae, refutans tamen Curialistarum de iis opiniones, quibus eorum auctoritas revera infringetur, ut stabiliatur *sufficientia* decretorum Papalium.²⁾ Disciplina primitivae Ecclesiae ex ejus sententia per novem

1) Itaque BELLARMINUS statuit „apostolos ipsos nullo concilio indigentes, modo hanc viam iniisse, ut formam darent posteris,” et orsi, ejus fidem Febronius hic desiderat: „Jacobum Petri sententiam e Scripturae et Profetarum dictis justam esse indicasse, ut iis persuaderet,” quos Petri auctoritas non moveret.” F. p. 43, 44.

2) BELLARMINUS sequentia affert: „1°. concilia, licet necessaria non sint, tamen ideo esse utilia, quia plurium judicio res prudentius agi creditur; 2°. ex omnium nationum conventu certiorum Ecclesiastici status rationem haberi posse; 3°. minus suspectum videri iudicium, quod

secula conspicitur, in quibus octo Concilia Generalia celebrata sunt. Ut occurrat animadversioni, saevientibus persecutionibus viam defuisse ad congreganda illa Concilia, ita ut ante annum 325^{um} nullum habitum fuerit, affert Febronius hoc argumentum: certe non spreta fuisse illis temporibus eorum jura, quippe quod ad annum 256^{um}, in causa Cypriani, Augustini verba nos doceant. 1) E rebus gestis cum Nestorio, Eutychem et in Trium Capitulorum certamine probat: antiquam Ecclesiam et Patres Pontificis auctoritatem Conciliorum auctoritati posthabuisse.

Indicat deinde „capitalem illam quaestionem de forma Ecclesiae Monarchia in Concilio Tridentino agitatum,“ nec tamen in favorem Romani Pontificis solutam fuisse, referens et refutans argumenta pro Pontifice in Synodo allegata. In Tridentino illo Concilio quaestio orta est „num Romanus Pontifex pro *Universalis Ecclesiae Episcopo et Rectore* haberi debeat?“ 2) Refert verba Natalis

plurium consensu perficitur.“ Febronius animadvertit, Apostolos nullatenus ad concilium convenisse, si cognitum iis fuisset, soli Petro omnem auctoritatem sacram inhaerere.

1) „Se non audere tale quid asserere, quale Stephanus jussit, nisi Ecclesiae Catholicae concordissima auctoritas per plenum Concilium fuerit eliquata et solidata.“

2) In Canone Octavo de summi Pontificis auctoritate sic agitur: „anathema sit negantibus, Romano Pontifici traditam esse a Domino Jesu Christo, plenam potestatem pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam.“ Quibus verbis sese strenue opposuerunt Episcopi et Theologi Galli, inprimis Cardinalis Lotharingus, contendens „ea tendere ad regni perturbationem, se Gallum esse, institutum in Parisiensi Academia, in qua auctoritas Concilii supra Romanum Pontificem propugnatur.“ Porro „inde schismatis fore initium, libros ab utraque parte scriptum iri et sedis Apostolicae auctoritatem in dubium

Alexandri¹⁾, qui de multis, quae hanc quaestionem spectant, egerit. Alia quaestio hoc in Concilio agitata, *de Episcoporum institutione, jure et auctoritate*, utrum haec *immediate* a Deo, an vero a Romano Pontifice sit repetenda, ita ut hujus proximi sint vicarii, non Christi. „Utramque autem quaestionem Concilium non finivit, quod eae non inter Catholicos et Haereticos contraversae essent, sed inter Catholicos Theologos disceptarentur.” Exponit Febronius ab una parte stetisse Italos, ab altera Hispanos ac Gallos, rationibus politicis non omissis.²⁾

Refutat vero ea, quae pro Monarchico statu in Concilio afferébantur, primum: imperium illud omnium esse perfectissimum; sed haec quaestio omnino non dissoluta est. Episcopis Concilium illud parum profuit. Thuani verbis utens Febronius dicit: „eorum potestas non solum non

revocandam.” Nomine Pontificis, Cardinalis BORROMAEUS rescripsit, neque de „Papae, neque de Episcoporum potestate quidquam exprimendum fore, illis tantum editis definitionibus, in quas Patres unanimi consensu conspirarent.” F. p. 51, 52, 53.

1) *Hist. Eccl.* Tom. VIII. Diss. 12. Art. 13.

2) Plura huc spectantia auctor petiit e PAULI SARPI *Hist. Conc. Trid.* Lib. VII. pag. 592, v. c. „Legatos Praesides omnem in hoc nervum intendisse, ne plura Italarum suffragia Hispanis accederent. Cardinalem Lotharingum proposuisse, ut quia nimis contentiosi essent hac de re Patrum animi, neque facile in unum conventuri, illa relinquatur in medio; ea spe, fore ut, adjuvante Deo, alio tempore perficiatur, quod nunc vix posset obtineri.” „Hispani Praesules non acceperunt hoc consilium, quibus Cardinalis Lotharingus respondit: „sufficere impediri malum, et praëjudicium veritati ab adversariis intentatum; si bonum quod intendimus, cum effectu obtinere minus valcamus.” „Sic denique,” clausulae loco ait scriptor, „et negre satis, quievit contentiosum illud negotium.”

aucta, sed ex ea multum delibatum est, quum ea potestas, quae ipsorum propria est, et ex Dei instituto iis attributa, iis tamquam a sede Apostolica delegatis concedatur." 1) Itaque Philippus II. Hispaniac rex dixisse fertur: „Praelatos, ut Episcopos Tridentum euntes, inde rediisse ut Parochos."

Haud injuste Febronius de Pontificiis Legatis iudicavit, ut etiam Paulus Sarpi, eos intra materias fidei satis sese continuisse, Patrum vota ac synodi decreta, ut fas erat, observantes. Recte item animadvertit, nullo modo potuisse Concilium spectare S. Pontificis absolutum in Ecclesia imperium, quum synodus sibi proposuisset, in gremium illius reducere haereticos, qui questi erant de nimia et despotica Pontificum auctoritate.

„Ecclesiam hodieque regi exteriore Christi institutoris auxilio, suam inde infallibilitatem habere, quae non est *revelationis* sed *directionis*" statuit auctor, quae vera esse non solum 2) verbis Sacrae Scripturae, sed et ratiociniis celeberrimorum Philosophorum et Theologorum Angliae 3) demonstrat. Legitima auctoritate Ecclesiam egere putat Febronius, 4) non quidem *mera per-*

1) Hac de re, uti et de hac sententia: „Episcoporum jurisdictionem divino jure, et virtute sui characteris teneri," summa quaestio fuit Pontificios Legatos Romanosque Episcopos servituti a multo tempore aduetos inter et Gallos Hispanosque Praesules.

2) Joann. XIV. s. 16. XV. s. 25, 26. Matth. XVIII. s. 17. XXVIII. s. 20. Luc. X. s. 16. 1 Tim. III. s. 15.

3) Sunt 1° JOANNES LOCKE, in opere: *le Christianisme raisonnable*, pag. 368 sqq. 2° GUILIELMUS SAYWELL, in Praef. in Editionem Epistol. Launaji a° 1689° Cantabrigiae vulgatam. 3° GUILIELM. CAVE, Tom. II. Hist. Litt. p. 68. in Epist. Apol. adv. Joann. Clericum.

4) Provocat ad 2 Petr. III. s. 16, ut probet eam esse necessa-

suasiva et paedagogica sed etiam publica, „cui omnis humana ratio cedere debeat, et sese submittere.” Sic auctoritas inter Christianos constituta est, *nec simpliciter divina, nec simpliciter humana, humana vero sed divinitus directa*; „infallibili Dei Spiritus assistentia ac *inerrantiae* dono perpetuo munita.” Hujus rei Ecclesiae Historiam exempla luculenta praebere ait, v. c. in rebus Concilii Ephesini II. ¹⁾ Itaque sequitur regulam Vincentii Lirinensis in Common: cap. IX^o, non licere „contra universalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium consacerdotum, contra morem atque instituta Majorum novam doctrinam invehere qua toti Ecclesiae mortiferi erroris labes inureretur.” Ex scriptoris sententia status ille monarchicus non pertinet ad Ecclesiae regimen a Fundatore praescriptum, estque alienus a forma qua antiqua Ecclesia usa est, atque aptissimus ad declinandum in despotismum. „Imperium vero mere aristocraticum, senu discordiarum vix unitatem servare posset. Itaque a Deo institutus est Primatus, ad servandum unitatem apprime idoneus.” Alteram animadversionem „Salvatore ipsum usum esse forma illa absoluta, inter homines versantem” omnino probat Febronius, minime vero quae ex ea colligebantur: „Eum terram relicturum, eadem cum potestate, atque in eadem regiminis forma vicarios sibi constituisse, S. Petrum ejusque in Romana Sede successores,” quod „supposititium” esse dicit, quum Christus Dominus in coelis eadem indutus sit auctoritate

riam „ad verum sensum sacrarum scripturarum accipiendum, ut enatae controversiae decidi possint.”

1) „Quod postea est rejectum tamquam Conciliabulum et Latrocinium.”
F. p. 65.

quam his in terris habuit. Tertium argumentum petebatur ex „infallibilitatis privilegio, quod Christus jam-jam moriturus Petro tribuerit” secundum Lucae verba cap. XXII. s. 31. „Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.” Non concedit unquam hoc applicari posse *ad judicia de doctrinâ* deinceps a solo Petro, multo minus ab ejus successoribus, ferenda.”

Ita Tridentinum Concilium minime agnovit Monarchicum Ecclesiae statum, ejus igitur decreta caute judicanda sunt. 1) Romani vero horum multa in suos usus converterunt, ut verba, quae leguntur Sess. XXV. cap. 21. „Salva semper autoritas Sedis Apostolicae et sit, et esse intelligatur” explicuerunt de salvo arbitrio et voluntate Pontificis, quae Febronius dicit „adversari synodi menti,” quum modo addita sint, ratione habita Protestantium oppugnationis. Accedit, falsitate Decretalium nondum reperta, multos iis adhaesisse principiis, splendentia ob primorum et sanctissimorum Pontificum nomina, sed hâc fraude detecta „multo certius de genuina potestate Summi Pontificis, quatenus ea revera ex Deo est, judicamus, quam Patres nostri falsis illis documentis innocenter delusi.”

E Febronii sententia Protestantes vix habent quod infallibilitati Ecclesiae opponant, nisi: 2) „Date nobis

1) v. c. Sess. XXIV. cap. 1^o. legitur: „Bealissimum Romanum Pontificem sollicitudinem universae Ecclesiae ex muneris sui officio habere.” De iis accurate egit PAULUS SARPI *in Hist. Conc. Trid.* Lib. VIII. pag. 774, ubi dicitur, melius scriptum fore *sollicitudinem omnium Ecclesiarum*, ut legitur 2 Cor. XI. vs. 28, „quippe quae nemini non potuisset arridere.”

2) Sunt verba Andreae Episcopi Wintonensis in Apologia pro rege Jacobo, contra BELLARMINUM cap. XIV. p. 333.

Concilia legitime congregata et procedentia; date Patres unanimi consensu judicantes, et in eorum sententiam statim ibimus." Quibus opponit „nihil certum, nihil stabile fore, nihil quo haereticus ab orthodoxo internosci possit, si Conciliis ea decernendi potestas adimatur." Praeterea verba illa Vincentii Lirinensis (l. l. cap. 8^o) „proprium esse Christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare." 1)

Ad infringendam Ultramontanorum doctrinam de Romani Pontificis infallibilitate notat, „eam neque ab omnibus Catholicis Ecclesiis agnosci, neque practicam habere utilitatem." Multi enim viri celeberrimi, inter quos Gersonius, Universitatis Parisiensis Cancellarius, Adrianus VI. Papa, et prae ceteris Bossuetius (in Defensione Cleri Gallicani Libr. XV. cap. 36.) sese huic doctrinae opposuerunt. Non minus Ecclesia Graeca pluribus temporibus, Africana (jam tempore Papae Stephani in quaestione de baptismo Haereticorum), Gallicana praesertim, quae decretis Conciliorum Constantiensis et Basileensis „supremam Conciliorum Generalium autoritatem supra Pontificem esse" semper adhaesit; tandem 2) vero etiam

1) Etiam commemorat verba Hugonis Grotii in *Voto pro Pace* „fidem omnium antiquorum dogmatum hodieque in Ecclesia R. Catholica subsistere, minusque ei exprobari posse repudiationem essentialium veritatum, quam superfluum et inutilem adoptionem."

„Inter haec superflua," ita pergit Febronius, „illud nunc impugnamus, quod caeteris omnibus intolerabilius est; sed poterit, imo debet id debellari et ad justos terminos redigi (relict se spectare Pontificis Romani potestatem, satis notam) sine schismate, imo sine generali Concilio, uti supra recte monuit Saywellus." F. p. 82.

2) Ipsi Romani Bossuetii laudarunt opus, inter quos Cardinalis Orsi in libro suo „adversus declarationem cleri Gallicani de anno 1682"

Germaniae Ecclesia. Concludit: „periculosa res est, multiplicare articulos fidei sine evidentia, et haecreses absque necessitate,” et *nullius in fidei controversiis momenti esse Infallibilitatem Pontificiam*, quam tantopere jactitant Ultramontani.

In capite II^o hujus libri agitur *de Primatu in Ecclesia*, et *Genuinis ejus Juribus*. Quaestioni an revera exstet ille Primatus e Scriptura¹⁾ et Traditione affirmanter respondet. Persuasum sibi habet Primatum illum necessarium esse, quem tamen conformem vult spiritui Christi, sine contagione humani dominatus, et in charitate fundatum. „Ita, inquit, Petrus non magis est Apostolus et Episcopus quam caeteri, sed primus. Doctrina ejus, neque purior, neque certior est, quam reliquorum. Quamquam una ex petris vivis Ecclesiae fundamenti, primus lapis est.”

referens, cum non unum alterumve produxisse locum, sed omnia perserutasse, ut perveniret ad finem, quem sibi proposuerat.

1) Binos illos textus Matth. XVI. s. 18. et Joann. XXI. s. 15, 16, 17. censet, non obscure „praecipuum aliquid in Petro” praec reliquis Apostolis indicare. *Primus* memoratur Matth. X. s. 2. Marc. III. s. 16. Acta I. s. 13. Luc. VI. s. 14. E sententiis Origenis et Eusebii Caesareensis „primus Petrus vocatur, fortasse ut caeteris honorabilior, et ultimus Judas ob malum affectum.” Alii ut Hieronymus et Chrysostomus „quia *aetate* erat provectior.” Epiphanius, Cyprianus aliique „quia primus ad Apostolatam fuerit vocatus.” Alii id tribuunt „ejus in Christum charitati.” Post Christi decessum „primum Ecclesiae coëgit concilium (Acta I). Primus omnium Christum annuntiat (Acta II). Cap. III^o et IV^o comitem licet habeat Joannem, solus tamen habet orationem et pro se respondet ac pro illo. Cap. XV^o iterum synodum congregavit eidemque praesidet. His argumentis allatis, addit Febronius: „Unde magis magisque declaratur, Ecclesiae coetibus praesidendi jus ita fuisse, huic Apostolo concessum, ut illud nemo in controversiam vocaverit, nemo non libentissime tulerit.” F. p. 91.

Patres Graeci ac Latini confirmantes Primatum Petri de illius fundamento statuerunt: „bonum esse unitatis in Ecclesia,” quae ratio movit ad illum faciendum perpetuum, quamobrem Romano Praesuli creditus est, non tamen a Christo, sed a Petro et ab Ecclesia; adeo ut Ecclesiae auctoritate ad aliam sedem transferri omnino possit. Verbis Bellarmini ¹⁾ assentitur Febronius, statuentis: „rationem successionis Romani Pontificis *ex facto Petri* quod, juxta Traditionem, Romae elegerit sedem suam, initium habuisse; nam si Petrus nullam sedem sibi unquam elegisset, tunc ei ille successisset, quem Ecclesia sibi elegisset, cujus successor in Primatu, iterum fuisset ille, qui ei succederet in Episcopatu.” Itaque successor in Primatu non gaudet divino mandato, sed ecclesiastico. „Sic etiam penes Ecclesiam cui tradita fuit clavium potestas, stetit et perdurat jus determinandi, per quem primum in illa officium, per quem inferiora munera geri velit. ²⁾ Primatus officium, inde a Petri excessu, a solis Romanis Praesulibus gestum, a Catholica Ecclesia agnitum fuisse, probant Acta Conciliorum, Gesta eorundem Pontificum, denique scripta et clogia Patrum, tam Orientis quam Occidentis; quorum testimonia seorsim a Febronio afferuntur et exponuntur.

1) In Libro IIo. *de Rom. Pont.* cap. 12. *Opp.* Tom. I. pag. 635.

2) „Hinc, sicut per rationes convenientiae humana auctoritate Romanae urbis antistiti sacer primatus creditus fuit, sic et ex rationabilibus motivis auctoritate Ecclesiae, idem ad alium Episcopum, transferri potest.” Idem illud multi alii cum Febronio statuerunt. Etiam saeculo XVIo constantissima fuit sententia regni Galliae, quae in articulis Germanis Smalcaldae propositis, his verbis offertur: „Sentire regem Gallorum, jure tantum humano, non divino, Romanum Pontificem habere Primatum.” Cf. SECKENDORFF, *Hist. Luth.* Tom. II. pag. 105. F. 98.

Censet Febronius: „singulari divinae providentiae consilio factum esse, ut is, qui Ecclesiae totius caput esset, in urbem, totius orbis dominam, pervenerit, ibique sedem fixerit suam, ut quasi ex sublimi loco, excubias agere posset.” Civium Romanorum in urbem confluxus, situs urbis idoneus ad novas ecclesias fundandas, ad fundatis prospiciendum, omnino Ecclesiae valde profuerunt.

Sententiam illam de Primatu cum omni suo jure, Ecclesiae auctoritate, alio transferendo, minime placere Romanis, sponte intelligitur; Benedictus Papa XIV^{us} valde illam acgre tulit. Et Febronius ipse concedit „talis translationis legitimas causas hactenus defuisse et omnem prudentem rationem ei merito obstitisse.” 1)

Si quaeritur, qua in re consistat natura illius Primatus, quae ejus sint genuina jura? respondet scriptor consulendum esse constantem usum et disciplinam Ecclesiae, qualis viguerit primis sex vel septem seculis, id quod effici potest *e scriptis Patrum, actis Conciliorum, ipsorumque Romanorum Pontificum gestis*. Existimat „qualis in Senatu Praeses, talem propemodum in collegio Apostolorum fuisse Petrum.” Sic verba *Caput, Major ac Princeps* non „stricta significatione” adhibenda sunt. Exigit illud munus „conservatio unitatis in Ecclesia,” observandis Canonibus, fide illibata custodita cett.: „In

1) Quibus addit: „Hinc, ne forte per talem mutationem ipsi Primatui noceatur, Christus ejusdem auctor et conservator suam ei fecit (non obstantibus tot tantisque vicissitudinibus) in Romana Sede constare firmitatem. Fecit id, idem probabilius faciet, si quid aliud, humano animo praevisum, aut impraevisum, Romae eveniat.” F. p. 103, 104. — In iis quae nostris diebus fieri vidimus, Romam haec oppugnatoris ejus verba consolari possent!

magna congregandorum Generalium Conciliorum difficultate, Summus Pontifex condere potest leges generales, easque toti Ecclesiae observandas proponere, at vero non ante vim habituras, quam communi consensu fuerint receptae." 1) „Quamquam non *ultimus iudex* sit statuendus, sunt tamen ejus *praecipuae* in iudicando *partes*. Quamdiu Ecclesia non reclamationem, ejus definitionibus obsequendum est." 2). Quum necesse sit generale Concilium, universam Ecclesiam repraesentans, congregari, Romanus Pontifex id vi Primatus sui potest et debet. Ad Papam ut *centrum Unionis Ecclesiasticae* multa negotia inde ab initio referebantur, ut sic dissitae ecclesiae *etiam extra Concilium* inter se conferrent. Dispensare potest in legibus a Conciliis latis, „eo scilicet casu, quo ipsummet Concilium dispensaturum fuisset." Supremum iudicium, ad quod provocari potest, penes Romanum est Pontificem. 3) Romana Ecclesia *Mater et Magistra* caeterarum est dicta, quia ex ea exierunt, qui primi fidem annuntiarunt in Italia, Gallia et Hispania, a caeteris Ecclesiis Occidentis magnopere aestimata est. Animadvertit tamen auctor „fundamentum illud reverentiae et grati animi, non omnimodae dependentiae et subjectionis esse." Sic etiam „responsa illius ad harum consultationes

1) „Quamquam penes Summum Pontificem solum legislativa potestas respectu universalis Ecclesiae *non* resideat." F. p. 106.

2) „Quod secus est circa privata Episcoporum decreta, quibus ii tantummodo sint obstricti, qui eorum jurisdictioni subiciuntur." F. p. 107.

3) Quum in commodum fidelium illa, quae dicitur, *instantiarum* auctoritas, *inspectioni* addita esset; qua diversi gradus iudiciorum instituebantur; inter haec supremum, saltem in Occidente, per Concilia, et primo quidem per *Sardicense* anni 347i Romano Pontifici attributum est.

attentionem mereri et respectum, at leges non esse, quae strictè obligent."

Quid boni Primatus hic Ecclesiae afferat, si quaeritur? „Fit per hoc Centrum Unitatis" (§ IV) respondet Febronius, simul explicans, quam necessaria sit haec Ecclesiae constitutio ad reprimendos errores, et ad servandam incunctam fidem. Per hoc medium dissitae Ecclesiae etiam extra Generale Concilium inter se tamquam vinculo aptissimo conjunctae sunt" ¹⁾. Praeterea indicat „ad fidem in sua unitate, religionem in puritate, hierarchiam sacram in statu suo servandam" opus esse consociatione illa omnium Ecclesiarum per commune illud centrum; ad quam communionem defendendam atque servandam, *excommunicationis* remedio inde ab origine Ecclesia usa sit, eorum habita ratione, qui dirumpere eam societatem vellent. His „qui Romanas partes praeter modum tumentur" et qui sententiam strenue defendunt, universam Ecclesiam acquiescere debere in auctoritate ac iudicio „Petri cathedrae" opponit Febronius „Centrum Physicum differre a Morali" ²⁾. Quo redeunt Romanae Ecclesiae iura, si tamquam centrum Unitatis consideretur? a.) Romana Ecclesia habet inter omnes per universam terram vera fide conjunctas Ecclesias, praesidium, etiam extra Generale Concilium, quod

1) IRENAEUS (Lib. III. adversus Haereses, cap. 3.) ait: „ad hanc Ecclesiam (Romanam) propter potiore principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles." F. p. 109.

2) „Neque enim hoc illius indolem ita sequitur, ut quod in physicis semper obtineat, in moralibus non declinet *unquam*." — „In Centro vero omnes ac singulae a peripheria ductae lineae desinunt; atque in eo invicem conjunguntur, demumque in illo immote quiescunt." F. p. 110.

saepius convocari vix potest. b.) Jus reliquis fidelibus invigilandi, utique juxta formam et normam Canonum. c.) Unitatis tanquam Centrum efficit, in quo et per quod fideles communionis nexum inter se servant. Quibus tamen addit, ex iis nulla ratione sequi, caput illud et praesidium non indigere vicissim subsidio corporis, „a quo et sustentetur et nutans sublevetur.” Etiam nonnullis Romanis Pontificibus visum est, hoc sane sustentaculo ei opus esse, ut Sixto III^o. statuente: „Ut omne corpus capite regitur, ita ipsum caput, nisi suo corpore sustentatur, firmitatem et vigorem suum perdit, et non tenet, quam habuerat, dignitatem,” et Bonifacio I^o, anno 422^o ad Episcopos, per Thessaliam constitutos, scribenti.

„*Ea, quae ad Ecclesiae statum attinent, ubi vis gerantur, ad Romanum Pontificem referenda esse, ut is sollicitudinem suo Ministerio convenientem expleat*” (§ VI) multis exemplis e saeculis IV^o et V^o petitis probat Febronius, „e quibus apparet quibus modis Romani Praesules ¹⁾ tunc temporis per reliquas etiam longe dissitas Ecclesias gravissimo suo Primatus ministerio cum ad fidem tum ad disciplinam Ecclesiasticam tuendam satisfecerint.” Imprimis ex Sixti IIIⁱ effato: Pontifex, quoad ejus fieri potest curat „ut Ecclesiae Domini macula desit et ruga.” Et quamquam indole idem officio suo fungi debeat, Gre-

1) Etiam Justiniano visum est, eam sollicitudinem Pontificis Romani ministerio convenire, quum scripserit: „nec enim patimur, ut quicquam eorum, quae ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad ejusdem referebatur Beatitudinem, quum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei Sacerdotum.” F. p. 114.

gorius Magnus indicavit, „Jussionis verbum a suo auditu removendum esse petens.”¹⁾

„*Romanus Pontifex est tutor et vindex Canonum per universam Ecclesiam; in quorum fideli observatione Papa sui Primatus invictum praesidium invenit*” (§ VII). Quinam vero sunt Canones illi? Tum Apostolicae Traditiones, tum etiam Synodalia Canonum statuta „*quae sedulo sancteque coli curarentur*”, quod si semper ab Apostolica Sede observatum fuisset, nunquam tales ab ipsis adeo Pontificibus profectae legerentur confessiones, Sedi illi parum honestae, quales ab Adriano VI^o et Paulo III^o enunciatas esse, nunc ex Historiâ novimus.²⁾ „Romanum Pontificem sententiae Conciliorum executorem habendum” senserunt Gelasius Papa, posterioribus etiam temporibus S. Bernardus, Bossuetius aliique; quibus e numero Pontificum annumeranda sunt nomina Gregorii Magni, Gregorii VIIⁱ et Innocentii IIIⁱ.³⁾ Et si quaeritur

1) Addit in epistola ad Episcopum Alexandrinum Eulogium: „Scio, quis sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ego jussi, sed quae utilia sunt, indicare curavi.” Profecto verba haecce prorsus aliud quid spirant, quam multorum Pontificum Romanorum posterioris aetatis. F. p. 119.

2) Verba Adriani VI sic se habent: „Scimus jam aliquot annis in hac Sancta Sede multa abominanda fuisse, excessus in mandatis, abusus in spiritualibus, et omnia tum demum in perversum mutata.” Pauli III: „Abusibus illis, quibus jam pridem Ecclesia Dei laborat, et praesertim haec Curia Romana, effectum probe est, ut paulatim ac sensim ingravescentibus pestiferis his morbis, eam in magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus.” (p. 121).

3) Verba Gregorii M. (Lib. III. Ep. 29.) „sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus;” Gregorii VII (Lib. I. Ep. 24): „sicut Romanae Ecclesiae debitum honorem impendi a cacteris Ecclesiis, ita unicuique Ecclesiae proprium jus servare desideramus;” Inno-

de fructibus, quos susceperunt ex illa Canonum conservatione, Bossuetii argumentis uti licet: „invictos eos fuisse a Constantinopolitanis Praesulibus, alta spirantibus, Principum gratia ferocioribus, quos Canonibus iis coëreabant.”

Ad jura Summi Pontificis porro illud pertinet, „*universalis Ecclesiae nomine leges aliaque observanda proponere*” (§ VIII), quemadmodum vero Petrus Matth. XVI. s. 15. pro omnibus unus respondit, ita et ejus successor ad Ecclesiam loquitur ex Universali Traditione. Agnoscit tamen scriptor, Decretis summorum Pontificum inter Canones Disciplinares etiam locum deberi, iis vero tantum, quae pro fundamento habent Canones ab Ecclesia agnitos, maxime *Conciliares* ²⁾ i. e. e Conciliis petitos.

Duplex est modus promulgandi decreta Pontificia, *per synodum, et omnium consensum.*

Ratio vero, qua Papa sollicitudinem suam pro observantia Canonum exercere debeat, e verbis Cypriani et Augustini eruitur, (§ IX) unde concluditur: praecipuum praeter ceteros jus et officium S. Pontifici esse nullum aliud, „quam ut ante alios omnes curet, ut circa fidem et mores statuta Canonum mancant illibata; diverso tamen modo: fides enim eadem esse debet in toto mundo, mores contra, quatenus legi divinae non repugnant, et rerum credendarum cardinem intactam relinquant, pro

centii III (Lib. I. Ep. ad Rectores Tusciae): „sicut jura nostra volumus servari, sic aliorum jura volumus illibata servare.” (p. 126).

2) Non suborta enim quacunque quaestione, Concilium colligendum esse, censet, sed ex ea tantum causa, „ex qua graves per orbem dissensiones oriuntur, nec aliter pax coalitura videatur,” (p. 129). Conferre jubet Actorum XV. s. 2.

genio usu et statu provinciarum ac regnorum varii esse possunt. Indicat Febronius satis constare, a Pontifice ipso utcumque contumaces non fuisse depositos, nec alia ratione punitos. Si vero tale quid fecit, non ita egisse ex jure suo habebatur, sed tanquam damnationis et excommunicationis sequela habebatur tale factum. At vero quae a Papa eatenus decreta erant, in Synodo deinde confirmabantur, quod exemplis illustratur." Gregorius Magnus luculentissimum nobis hac in re exhibet exemplum, quum non deposuerit, aliave ratione punierit Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, titulum *Episcopi Universalis* assumentem, contra „a Deo precibus imploraverit, ut hunc a mente illius averteret errorem."

Etiam „*Romanus Pontifex jus habet mittendi legatos ad opus officii sui Primatialis*" (§ X), subjungit tamen „*ne vero in hac committantur abusus, in plerisque regnis muneri et functionibus Legatorum fines ponuntur.*" Expōnitur deinde ratio, qua una cum Romanorum Pontificum juribus creverit Legatorum auctoritas ¹⁾, et licet Tridentinum Concilium agnoverit hunc abusum, „posteritati, ex Febronii sententia, relictum est, penitus emendare quod hac in parte Regnis noxium, et Episcoporum juribus adversum intelligatur". Jam nunc in

1) Docet porro, ex Isidorianis Decretalibus sequi „nullum Concilium pro rato perfectoque haberi, nisi cui Pontifex per se vel per suos delegatos praesedisset." Item pergit: „postquam etiam Concilia exaruisent, non deérant tamen Pontificibus obtentus, suos Legatos provinciis obtrudendi," ut scripsit Alexander II. Ep. 21. „quod cura Universalis Ecclesiae cogat mittere Legatos ad visitandas Ecclesias, cum Pontifex per se id facere nequeat." (p. 140).

Anglia, Scotia et Gallia eorum jura valde sunt minuta; in Germaniâ contra pleniore potestate Nuntii illi semper usi sunt.

Quae hucusque Febronius disputavit, eo maxime tendunt, ut probe intelligatur ac teneatur: *Summi Pontificis principatum per universam Ecclesiam*, ex ipsius sententia, *non tam esse Jurisdictionis, quam ordinis et consociationis* (§ XI). Talem itaque principatum Summus Pontifex habet in Universali Ecclesia, „qualem v. c. Cyprianus gerebat in Africana (ut ipse agnovit celeberrimus ille Episcopus) qui aequalitatem et libertatem aliorum Episcoporum non infirmabat, sed jus solum habebat Concilia convocandi, similiaque,” eo semper salvo, quod Romani Pontificis universalis Primatus sit ex institutione Christi, Episcoporum contra potestas humanae ordinationis”. *Jurisdictionis Papalis* nomen prorsus rejicit Febronius, potius loquitur de illius auctoritate, ut semper etiam fecit Concilium Tridentinum v. c. in Sess. VII. et XXV.; cum Gregorio Magno eorum perstringit opinionem, qui Romano Pontifici nimis auctam nec rectam attribuunt auctoritatem ¹⁾. Leo Magnus se ipsum vocavit: „Leonem Papam Ecclesiae *Catholicae* urbis Romae;” nihil tamen aliud hoc nomine designari quam „*Catholicae* ²⁾ *Communions Episcopus*” apparet e nomi-

1) Graviter sane peccant, qui eo sensu Romanum Pontificem „*Catholicae Ecclesiae Episcopum*” dici existimant, quasi *Catholica* Ecclesia ejus dioecesis sit, in qua ipse proprio jure Episcopum agat, reliqui Episcopi, praeter nomen vicariam illius unius praefecturam tantum administrent.” (pag. 147, 148).

2) In Carthaginiensi Collatione cum Donatistis, nonnulli Episcopi „*Episcopos Ecclesiae Catholicae*” se dixerunt, „ut sese hac formula ab

nibus, quibus alias contentus fuit, ut „Leonis Episcopi,” „Episcopi urbis Romae.” *Universalis Episcopi* titulum tantummodo sibi vindicare potest Summus Pontifex eo sensu, quod habeat curam totius Ecclesiae, generalem, nimirum, ita ut nunquam excludat arctetque particularia jura, „quae singulis Episcopis in suis dioecesibus ab Universalibus Ecclesiae Conciliis sanciantur” 1).

Dubio, num talis auctoritas, qualem Pontifici concessit, huic sufficiat, occurrit Febronius demonstrando: „In primaevo statu, in quo Primatus octo saeculis perstitit, bono unitatis optime prospectum fuisse,” (§ XII); „quum bonum Ecclesiae et fidei securitas” non cohaereant cum jure absoluto decernendi in rebus sacris, praesertim fidei; quum a veris Christianis, „corde et ore Ecclesiae filios se agnoscentibus” decreta particularium Synodorum et Summorum Pontificum non contemnenda sint. Non obstat, plurimas haereses sola Romanorum Pontificum auctoritate damnatas esse, nullo habito Concilio, quod tantummodo admitti vult hic scriptor tanquam „extremum remedium” omnibus aliis adhibitis. 2).

Haereticorum conventiculis et communione secernerent.” — „Creduntur, ita pergit auctor, huic appellationi occasionem primi dedisse Donatistae, qui Ecclesiam in parte collocabant: quibus *Catholicae Ecclesiae* nomen opponunt Ecclesiae per orbem diffusae assertores Episcopi.” (p. 150).

1) Hunc sensum etiam defendit Bellarminus (Lib. II. de Rom. Pont. cap. 31.) cumque l. l. exposuit, quum Heterodoxi Gregorii M. testimoniis contra Romanum Pontificem abusi essent.

2) „Ad extremum hoc remedium tunc demum est recurrendum, si difficultas aut haeresis tolli non possit intermediis judiciis Episcoporum, Conciliorum dioecesanorum et provincialium, demum Romanorum Pontificum, quibus omnibus pro re nata competit de rebus fidei iudicium, quamquam non ultimum et irrefragabile.” (p. 152).

Nequaquam vero sic arma suppeditare vult ad resistendum Romano Pontifici, legitimo Ecclesiae Capiti a Christo constituto, attamen resistantiam illam legitimam esse posse, etiam ex Bellarmini sententia (allato exemplo Cypriani ac Papae Stephani) fatetur. Nam resistere *legitimae* potestati crimen est quovis supplicio vindicandum; resistere ei, qui auctoritatem usurpat, quam nec a Deo obtinuit, nec ab hominibus, saepe excusationem meretur.

Et si quaeritur „de primaevo illo statu, in quo Primatus octo saeculis perstitit”, huc redit ¹⁾: „Incumbit Petri successori sollicitudo omnium Ecclesiarum. Ideo ex omnibus Provinciis ad eum sunt referenda, quae ad communem Ecclesiae statum pertinent. Ad ipsum tamquam ad Centrum omnia concurrunt, quo servetur unitas fidei, puritas morum, Hierarchia Ecclesiastica, etc. Ad eum pertinet cura et defensio Canonum a Generalibus Conciliis sancitorum, aut alias ab Ecclesia acceptatorum. Hunc in finem instruit, hortatur, arguit. Adversus refractarios utitur mediis per Canones praescriptis. Deum suam et Ecclesiae communionem negat, a qua similis aliarum Ecclesiarum Communio et respective excommunicatio ut plurimum dependet. Scribit ad Episcopos provinciae, ut collegam scandalosum aut haereticum deponant. Suborto in causa fidei dubio, priusquam aliquid definiat, et toti Ecclesiae credendum proponat, Episcoporum sententias rogat, colligit, ponderat. Quod si ne sic quidem omnium Ecclesiarum expectationi satisfactum appareat, sed earum plures atque insignes reclamant, universalem synodum congregat, eique,

1) F. pag. 154, 155.

salvo suo praesidio, liberum causae examen, cognitionem, et decisionem permittit. Non invadit ordinaria Episcoporum jura; sanctissimorum Canonum, ab universali Ecclesia sancitorum, primus custos et vindex est." Caeterum animadvertendum est „omnes haereses sublatas esse, neque illarum ullam remansisse," quod quidem expectari vix potest, quamdiu Ecclesia in Monarchiae statu permanet. „Post haec, ita concludere omnino potuit scriptor, judicet quisque bonus et aequus, quo systemate, bono Unitatis melius consultum sit."

Tandem quaestioni: quatenus in illa „Civitate Dei," dicenda sit vigere regiminis forma? respondet, verba afferendo „viri sacris quidem Protestantium addicti, sed docti et rerum politicarum cum primis periti, atque in hac parte vera tradentis," nempe Samuëlis Puffendorffii ¹⁾. Hic vero ita disserit: „In Ecclesiis formandis non opus est decreto super certa regiminis forma introducenda; absurdaeque adeo sunt quaestiones, monarchica, aristocratica, an democratica, forma competat Ecclesiae? Hac quippe formae cadunt in statum aliquem seu civitatem. Ecclesia autem status non est."

In Capite III^o agitur „De incrementis jurium Primatus Romani, illorumque ansis, tum fortuitis et innocuis, tum sontibus." — „Episcopatus in Ecclesia unus est, et omnibus Episcopis certo modo communis, (§ 1) quod jam agnoverant Cyprianus et Leo Magnus. Factis suis etiam comprobavit illam sententiam Athanasius, plures ad sacros ordines evhendo, ab exilio redux, in variis

1) In Libello *de Habitu religionis Christianae ad vitam civilem* (§ 32. p. 139.)

civitatibus, minime ad ejus dioecesim pertinentibus, ne Ecclesia ab Arianismo obrueretur. Plura talia exempla affert scriptor, quibus efficit: „*exigente necessitate* nullum officii Episcopalis actum esse, quem non quisquis eorum, sine ulla dispensatione, peragere potuisset”: scilicet in rebus ad fidem spectantibus, non vero ad Ecclesiasticam politiam, diversam in diversis dioecesibus, „in quibus nihil unquam erat, aut esse potest, aliis in aliorum dioecesibus commercii aut curae, sed suae solius dioeceseos negotiis quemque intentum esse oportet.” Christi tamen mandata Marc. XVI. s. 15. et Matth. XXVI. s. 19, minime ad omnes Presbyteros, sed solum ad Apostolos et Episcopos, eorum successores, spectare, Febronio visum est.

„*Non omnia, quae Romani Pontifices in aliorum dioecibus gesserunt, vi Universalis Primatus egisse, aut sua auctoritate perfecisse censendi sunt. Plura quodam devolutionis jure susceperunt: quae ad jus ordinarium minime pertinent.*” (§ II). Extraordinarium et quasi devolutionis illud jus, ortum ex urgente necessitate, vel suadente manifesta Ecclesiae utilitate, prima ansa est erroris, quo multa tamquam ordinaria jura et propria officia Primatus considerantur, quae tamen „vel per se, omnibus Episcopis communia sunt, vel tantum ex praecipua Primatis obligatione aliorum defectus extra ordinem supplendi dimanant, vel ab illo quidem inchoantur, attamen suam vim et robur a superveniente aliarum Ecclesiarum consensu, saltem tacito, obtinent”.

„*Varia enim, etiam praeter vel contra statuta Canonum in alienis dioecibus acta leguntur, quae in exemplum trahi non debent. Nonnulla ex speciali privilegio*

et praerogativa exercebantur, quae ultra fines privilegii extendi non possunt" (§ III). Non a factis sed a jure norma sumenda est genuinae Pontificum cognoscendae potestatis ¹⁾, „multo minus a particulari jure aut privilegio, etiam legitimo, concludi potest aut debet ad jus universale." Simul vero summam agnoscit difficultatem veros fines Primatus, illiusque jurium definiendi, quoniam, quatenus *ex jure divino* est, permixtus fuit cum novis opinionibus ac doctrinis. Quod spectat ad jus primariarum Sedium, quod hae cum Romana commune habebant, alienos Clericos ordinandi, multum abest ab exercitio propriae et ordinariae jurisdictionis in alienis dioecesibus. Nam sedium illarum Episcopis non licitum erat aliarum dioecesium homines ad officium in peregrinis Ecclesiis consecrare; sed, quum nemo ordinaretur nisi ad officium certae Ecclesiae (quod posterioribus temporibus *beneficium* dictum est), „Romano Pontifici, Primatibus et Patriarchis solum permissum erat, praeter vel contra communem regulam, ex alienis dioecesibus Clericos deligere, eosque Patriarchalis seu Primatialis suae Ecclesiae — quam reliquarum formam esse, ideoque delectu Cleri eminere decebat — ministerio volentes adscribere."

„Sic etiam antiqua ratio excommunicandi, ejusque jus, non erant effectus jurisdictionis respectu excommunicati" (§ IV). Describit Febronius quomodo ratio illa com-

1) „Non debet de genuina Pontificum potestate judicari ex illa quam exeruerunt illo tempore, quo haec nullis credebatur circumscripta limitibus, sed ex actis Conciliorum, ex sententia Doctorum Ecclesiae, et Pontificum ipsorum judicio, quod de snis juribus ferebant ante tempora ignorantiae." (p. 166).

municandi et excommunicandi Romam inter et alias Ecclesias olim servata, per speciem jurisdictionis universalis facile in errorem inducere possit. Communio Ecclesiarum duobus praecipue modis fiebat, et per litteras, quas sibi invicem scribebant et per benignam susceptionem eorum qui ab externis Ecclesiis veniebant, et concessa iis communione. Omnes tamen et singulae Ecclesiae non notae inter se mutuo commercio uti poterant, quare magnae eligebantur Sedes, per quas ceterae Ecclesiae inter se communicabant, cujus rei multa laudantur exempla ¹⁾. Regulae vero ab universali Ecclesia dictatae, quibus communicandi modi regebantur, jurisdictionis universalis speciem atque umbram prorsus tollunt. Idem valet de excommunicationis ratione: nam saepe Ecclesia Romana alias Ecclesias excommunicavit, eodem modo quo Ecclesia quaedam ejusve Episcopus alium Episcopum aut Ecclesiam sive vicinam, sive procul dissitam, id fecit; quod fiebat vel datis litteris, vel rejectis a communione iis, qui inde veniebant, unde ad communionem nuntii facti erant. Excommunicatio ob rectam causam pronuntiata dimanat ad universam Eccle-

1) „Sic Orientis Ecclesiae cum Occidentalibus communicare censebantur, quando Antiocheno Patriarchae communicabant, qui junctus erat communione cum Romano, cui specialiori nexu adhaerebant Occidentales. Ita Aegyptii etiam per Alexandrinum communicabant cum Romano, et Occidentales omnes cum Orientalibus et Aegyptiis itidem per Romanum, quem S. Basilius (ep. 239) propterea Occidentalium *Choriphaeum* nominat.” Quibus postea F. haec addit: „Sic Romana Ecclesia erat quidem *punctum*, in quo, et per quod reliquae Ecclesiae inter se communicabant; sed vel ipsa haec communionis jura et communicandi modi regebantur regulis, non a Romana, sed ab *Universali* Ecclesia dictatis.” (p. 169).

siam, e Canonum dispositione, nomine *totius* fit *Ecclesiae*; exemplum praebet Marcion.

„*Qualitas Sedis Patriarchalis, Romae adhaerens, saepe cum Universali Primatu miscetur, et errores generat*” (§ V). Mox decreta Romanorum Pontificum ab Orientalibus habebantur pro effatis *totius Occidentis*, ut fecerunt Augustinus et Hieronymus¹⁾. Sensim sensimque Canonistae Romanum Pontificem e Patriarcharum numero et ordine expunxerunt. Non est igitur quod miremur, omnia olim in Occidente, id est intra fines Romani Patriarchatus, a Romanis Praesulibus gesta deinceps habita fuisse pro actis *secundum jus universalis Primatus*, quippe qui in divina institutione suum habeat fundamentum. Distinguere vero jubet Febronius inter jura Papae Primatus, atque Patriarchatus, quod non fecisse ait Protestantes, qui animadvertentes e Canone XXVIII^o Concilii Chalcedonensis,²⁾ Romanae Sedi a Patribus nonnulla privilegia tributa esse, existimarunt his privilegiis *Primatum ipsum* contineri, proinde hunc non esse *Juris Divini*, sed humanae concessionis. In illo vero Canone non agitur *de Primatu* Papae, sed de jure ejus *Patriarchali*. Utcunque autem privilegia Patriarchatus Occidentalis extensa fuerunt, haec, uti ceterorum

1) Tempore Concilii Constantin: III (Vi Oecumenici) a^o 553^o quinque numerantur Patriarchae. — Innocentius III. (de Privilegiis) quatuor sedes tamquam Patriarchales designavit; Romanam tamen dicens „Matrem universorum Christi fidelium et Magistram.” (p. 173.)

2) „Antiquae Romae throno, quod Urbs illa imperaret, Patres haud immerito privilegia tribuerunt; et eadem consideratione moti 150 Dei amantissimi Episcopi sanctissimo novae Romae throno, aequalia privilegia tribuerunt,” . . . etc. (p. 174).

Patriarcharum jura, *humanae institutionis* sunt habenda, illa vero dignitas Romano Episcopo obtigit *sine praesudicio*, aut damno illius, quam habebat ut Caput Ecclesiae ex jure divino. Simul vero Patriarchae officium institutum esse ad jura tuenda, dignitati et muneri Episcopali propria, probe teneatur. Non negat tamen, successu temporis confusa fuisse utriusque officii jura, multaque existimata esse „a Primo Universalis Ecclesiae Episcopo” facta, quae reapse tanquam „Patriarcha Occidentis” gesserat ¹⁾. Censet praeterea, Sedium Patriarchalium et jurium iis attributorum, institutionem „pro bono Ecclesiae mutari, ampliari, vel etiam restringi posse;” id, quod Bellarminum quoque agnovisse, allatis ejus verbis probat. Deinde statuit Febronius: „*Apostolicae Ecclesiae dignitatem, Romanae praecipue competentem, et Sanctitatem Episcoporum ejus, magnam illi auctoritatem conciliasse, sed nativi Primatus Juribus nihil addidisse. Idem observandum de qualitate Matris et Magistrae, quae Romae respectu Ecclesiarum Occidentis tribuitur. Titulus et dignitas Capitis Ecclesiae, nec non Vicarii Christi, Romano Pontifici propria, absolutam superioritatem non importat,*” ²⁾ (§ VI.) quod probare

1) Exemplum affert e spuris Decretalibus, quae Romano Pontifici tribuunt *plenitudinem potestatis*, dum interim reliquos Episcopos tantum *in partem sollicitudinis* vocatos esse volunt. Fundamentum illae habere videntur in Epistola Leonis Papae ad suum per Illyriam Vicarium, Episcopum Thessalonicensem. Sed animadvertendum est aperte ibi agi *de Potestate Patriarchali*, quam seculo V^o Rom. Pontifex per Illyriam obtinuit. (p. 175.)

2) Sub Innocentio I^o (initio saec. VI) Romana Ecclesia nominata est: „mater Ecclesiarum Occidentis” et sub Innocentio III^o (1198—1216) „Universarum Ecclesiarum mater.” Concilium Lateranense anni 1215i

studuit scriptor verbis allatis Doctoris cujusdam Sorbonici Andreae Duvallii ¹⁾, qui vero „Ultramontanorum sententiis egregie addictus, Romanis minus suspectus videri debet” distinguens caput *essentiale* seu *principale* a *ministeriali*; primum, quod et summum est manet Christus, alterum Summus Pontifex. Recte tamen animadvertit Febronius, nomina illa, quibus et Romana Ecclesia et hujus Pontifex ornati erant, praesertim tenebrosos sacculis, ansam dedisse et permultum valuisse ad fictam illam Monarchiam augendam atque amplificandam. Explicatis deinde variis illis cognominibus, demonstrat: sanctitatis famam Romae novum nullum jus superaddidisse, „vel, si hoc concedere vellet, illud jus per multa et magna scandala, praesertim saeculi XI, amissum dici posse;” titulum *Matris* et *Magistrae omnium Ecclesiarum* minime ei convenire; Romano Pontifici, nomine Capitis universae Ecclesiae, non competere principatum proprie dictum in universum corpus; reliquos Episcopos etiam Christi esse vicarios, quum Pontifex Romanus primus sit vicarius, denique „*relationes in gravioribus et dubiis causis ad Romanam Sedem fieri solitas, magnum ei auctoritatis pondus addidisse*” (§ VII.) Mox enim eas *pro jure* postulavit, *consilia* mutans in *mandata*, *directorium* in *imperium*, quod primus fecisse videtur Innocentius I. anno 402.

eam nomine insignivit: „Matris Universorum Christi fidelium,” agnoscens „Disponente Domino eam super *omnes alias* ordinariae potestatis obtinere principatum.” — Idem Concilium Romano Praesuli nomen dedit: „*Capitis Ecclesiae*,” quum per Legatos suos Concilio praesideret, ut caput suis praestet membris. F. p. 177, 178.

1) De suprema Romani Pontificis potestate. Parte IV^a, Quaest. 7^a,

Primis tamen temporibus non novum jus condiderunt Pontifices, sed *de jure constituto* in dubiis respondebant; mox tamen exstiterunt Romanorum Pontificum *Decreta*, sub initium saeculi Vⁱ collecta, postea *Codices Canonum* nomine insignita. Accessit jus *Isidorianum* plenius receptum, quod jam saeculo IX^o multum valuisse sed per temporum decursum vi atque auctoritate magis etiam accrevisse, multis et luculentis exemplis probat. ¹⁾ Innocentius III. et Alexander III. sese *Canonum Dominos* dicebant, quum antecessores sese tantum nominassent „Canonum Custodes, Vindices et Executores.” Ex iis quae nunc sequuntur luculenter apparet, quantopere veri nominis pietas, morumque integritas scriptori nostro curae cordique fuerint, nec minus, illum in Curiae Romanae erroribus detegendis et in veritate defendenda, nullo metu ductum fuisse. ²⁾

Nulla modo hanc rem mutant figuratae illae vel ampullatae Patrum elocutiones, quae interdum occurrunt (§ VIII.), quum infirmitatis humanae sint indicia, aegre se intra legitimos fines continentis, quum jam in Concilio

1) v. c. Joannes VIII. Papa negavit Pallium Archiepiscopo Williberto Coloniensi quia „nullam sanctorum universalium synodorum nec *Decretalium Pontificum Romanorum Constitutorum* secundum morem mentionem fecisset” in scripto suo.

2) „Magnum Ecclesiae obsequium praestant, qui operam locant in destruenda vesana illorum securitate, qui sub scuto dispensationum, indulgentiarum, exemptionum, et aliarum ejus generis gratiarum, se immunes putant ab obligationibus communium et geminarum regularum Disciplinae ac morum, quique Romani Pontificis potestatem copotissimum sine in immensum extollunt, ut in illa praesidium inveniant adversus remorsus conscientiae, saeculi cupiditatibus seductae, quae quandoque velo religionis obducuntur.” F. p. 191.

Florentino Patres Graeci Romanis opposuissent: „quae honoris causa dicta sunt, in consequentiam trahi non debere.” Accedunt falsae Decretales, „*quibus status Ecclesiae porsus immutatus est,*” (§ IX) quae, editae ante finem saec. VIIIⁱ, formam Monarchicam instituerunt. Faciunt Romanum Pontificem *Universalis* Ecclesiae Episcopum. Omnes *Majores* et *Difficiliores* causae ab iis ad Romam referuntur. Omnia *Concilia*, etiam *provincialia* Papae tantum auctoritate congregari possunt, antea minime eo valente, quum etiam postea, in Sess. XXIV. cap. 4. Concilii Tridentini, nil occurrat de praesidio Legati Romani aut confirmatione papali. ¹⁾

Primum igitur quod volunt Decretales illae, huc redit: Romanum Pontificem esse *Monarcham*, meros illius ministros esse Episcopos, *in partem sollicitudinis* tantum vocatos, Papam solum *in plenitudinem potestatis*. Contra regulam Vincentii Lirinensis insigniter esse peccatum indicat scriptor, saeculo VIII^o duce Isidoro, qui formam Ecclesiae et regimen ejus, quale a Patribus acceperat, posteris non consignaverit, sed qua ipse voluit, duxerit. Quibus adjungit Febronius: „*novum illud systema corroboratum esse ampla dilione et regimine seculari, quod iis temporibus Romanae Ecclesiae accessit.*” (§ X).

Argumentum deinde disquisitionis, etiam nostris temporibus magni sane momenti atque observatu dignissi-

1) Censet vero Febronius Cardinalium effatum: „quae in Conciliis provincialibus conduntur, publicari non debent inconsulto Pontifice” vim apertam inferre Concilii verbis, et falsis Decretalibus satis esse consentaneum.

mum, commemorat, 1) nimirum donum illud quaecumque imperii secularis antiquius esse saeculo X^o, quum jam inveniatur sec. VIII^o in Epistola Hadriani Iⁱ ad Carolum Magnum, 2) quae est n^o. XLIX. Hoc perspicuum esse existimat, amplam tum Romani Pontificis in urbe et tractu Romano potestatem fuisse, multaque cum imperio ab eo libere sancita et facta; unde apparet, regimen illud Pontificum seculare receptioni Isidorianarum Decretalium tantum non esse coevum. Enarrat deinde, qua ratione Romani Pontifices in litibus, quas habuerunt de ita dicto *Patrimonio S. Petri*, miscuerint iura spiritualia, et ea quidem ad leges Isidori exacta, cum secularibus; exponens simul rationes politicas, quae veniunt in subsidium Monarchiae sacrae, allatis exemplis Innocentii IIIⁱ, Clementis VI, Innocentii IVⁱ, statuentis, (ut aliorum usurpationes omittam) Papam regibus sibi non obedientibus regnum posse auferre aliisque tradere. Hinc vero factum est, ut omnes

1) Se hic non agere velle de *praetensa donatione Constantini* dicit scriptor noster, de qua egerunt BARONIUS in *Annal.* ad annum 324. n. 117. — DE MARCA, Lib. III. cap. 12. n. 3. et „innumeri alii.” P. p. 208.

2) *Codices Carolini* in MURATORII *Rer. Ital. Script.* Tom. III. P. II. pag. 194. — De finibus donationis a Pepino Ecclesiae Romanae factae terrarumve quas hic beneficio hujus regis dono accepit, egerunt EGINHARDUS: „*de Gestis Pipini Regis* ad annum 755, apud DU CHESNE. Tom. II. p. 235. et *Annales Fuldenses* ad annum 756. pluresque. Quod quaestionem attinet, an Carolus M., factus Imperator et Dominus Romanae, supremum et *absolutum*, an *utile* tantum dominium hujus urbis, Romanae Ecclesiae et Summo Pontifici adscripsit, pro Imperio disputavit MURATORIUS, „*Droits de l'Empire sur l'Etat Ecclésiastique*, c. VI. p. 77 sqq.,” „pro Papa JUSTUS FONTANINI *Dominio della S. Sede sopra Comachio.*” Diss. I. c. 95, 96.

abusus gravissimosque morbos, qui in Ecclesiam irrucrant, Cardinales in allocutione ad Paulum III^{um} non Romanae Ecclesiae, vel sedi Apostolicae, sed Curiae tribuerint, quod ipsum quidem nomen minime Ecclesiae conveniret.

„*Systema illud falsarum Decretalium etiam suo tempore vigere fatetur Febronius; sed multo etiam durioribus conditionibus*” (§ XI). Affert exempli causa Benedictum XIV, plurima sibi tribuentem, nonnullasque eius elocutiones eadem spirantes, quae in Curialistarum scriptis leguntur, v. g. „sententiam Papae praevalere sententiae totius mundi” vel „eum facere jus de eo quod non est jus, quum naturam rei ¹⁾ immutare possit.”

„Horrorem ista injicere iis qui in cognitione Scripturae, Conciliorum, Patrum et Historiae Ecclesiasticae vel mediocriter sunt versati,” recte statuit; ²⁾ quippe quae, quotidie adhibita ad controversias dijudicandas, nullam spem relinquunt iterum conjungendorum cum Romana Ecclesia vel Protestantium in Occidente vel Schismaticorum in Oriente, quamquam revera ab universa Ecclesia non approbata sint. Facile erit intellectu, sententiam Cardinalis Cajetani: „*Ecclesiam servam natam esse, et principandi jure carere, Dominum vero esse Romanum Pontificem,*” a Febronio prorsus rejici, quippe quae in Curia nata sit et cum ipsis institutis falsis Decretalibus adoleverit. Nimirum, Ecclesia, ut omnium Christianorum, ita et Romani Pontificis Mater est et

1) Quae petita sunt e FAGNANI *Commentario ad Decretales*.

2) Quibus addit: „si unquam alibi argumentum *ex absurdo* locum invenit, illud hic plenam suam vim debet exercere.” F. p. 221,

Domina, a Scripturis et Patribus non dicta serva, sed *Sponsa Christi*.

In Capite IV^o transit scriptor ad „*causas, quae vulgo majores dicuntur*”, et quaestioni respondet, „*quando et quomodo illae Sedi Apostolicae reservari coeperint*” (§ 1). Exponit Ecclesiae disciplinam de quibusdam negotiis gravioris momenti, quae posteriora secula Summo Pontifici reservarunt; 1) quae tamen vel „*Jure Divino vel primorum Saeculorum observantia*” Apostolicae Sedi propria fuisse negat, unde tanto certius concludit: Primatum illius Sedis origine sua multum distare a Monarchia, neque alia jura ipsi competere, „*quam directiva illa,*” de quibus jam egerat cap. II^o. Hic tantum de *Majoribus Causis* in universum statuendum esse censet, de quibus reservandis ante saeculum quintum ne cogitatum quidem est. Frustra Innocentius III. ex Jure Divino privilegium illud de causis Majoribus deducere conatus est, provocans ad Deuter. cap. XVII. 2), quod tamen hac in re nil probare animadvertit Febronius, quamquam concedit ea negotia, quae universae Ecclesiae aut unitati fidei praejudicium adferre possint, „*non sine participatione Primae Sedis*”

1) Commemorat scriptor in Jure Canonico alias Causas Majores non exprimi, quam sequentes. „1^o. Difficiliores fidei quaestiones. 2^o. Ineligibilium personarum ad praelaturas Postulationes. 3^o. Confirmationes legitimarum electionum ad easdem praelaturas factarum. 4^o. Episcoporum cessiones sive resignationes. 5^o. Translationes eorundem Episcoporum. 6^o. Sedium Episcopaliū erectiones, translationes et uniones. 7^o. Institutionem novarum Metropolitum et Sedium Patriarchalium. 8^o. Episcopaliū Coadjutorum dationem. 9^o. Denique Episcoporum depositionem.” F. p. 224.

2) In quo capite Dominus constituit, in magna difficultate ad Summum Sacerdotem ejusque consilium esse recurrendum,

definienda esse, ut v. c. factum est in causa Pelagii, aliisque. Verbis allatis Gregorii Zallweinii ¹⁾ indicat jam saeculis II^o et III^o recursum esse ad sedem Romanam; saec. IV^o in synodo Nicaena, teste Innocentio I^o, ulterius statutum esse, ut Causae Majores ad sedem Apostolicam devolverentur, sed non nisi *post iudicium Episcopale* ²⁾. Saec. V^o et VI^o Pontifices relationes magis urgebant, constituentes Vicarios. Congregari desierunt Synodi Particulares; tandem saec. VIII^o emanavit collectio Pseudo-Isidoriana. Synodi prorsus cessarunt, Episcopi sua neglexerunt Jura, in dies crevit Legatorum auctoritas, Pontificum denique potentia maximis incrementis aucta est.

„*Causae tamen fidei non sunt reservatae summo Pontifici. Singuli Episcopi et singularia Concilia habent jus damnandi haereses* ³⁾. *Doctrinas a Sede Apostolica damnatas possunt Concilia Particularia ad examen revocare. Qua de causa, et quem in finem graviores fidei quaestiones ad Romanum Pontificem referendae sint, sic dein indicat scriptor*” (§ II): „Episcopi judicant cum ipso Romano Pontifice,” quum formula, qua utuntur, semper fuerit „ego iudicans, ego consentiens subscripsi.” Pri-

1) In „Princip. Jur. Eccles. Tom. I. Quaest. 4. cap. 3. § 4.”

2) „Notant tamen auctores, Canonem ab Innocentio citatum, non esse Synodi Nicaenae, sed Sardicensis.” F. p. 229.

3) Ex *Annalibus* BARONII ad annum 1148^{um} affert exemplum scriptor, Cardinales in Concilio Remensi eo anno habito, statuisse: „nulli fas esse, circa fidem quidquam determinare citra auctoritatem Romani Pontificis.” — Teste NATALI ALEXANDRO (in *Hist. Eccl.* Tom. VI. pag. 485. sqq.) Innocentius III idem censuit, Christi verba „se pro Petro exorasse, ne deficiat fides ejus,” ad Sedem Romanam transferens; quamquam Paulus Episcopo mandat causas fidei in Epistolis suis ad Timotheum et ad Titum. F. p. 231.

mis seculis, quum necesse esset Concilia Generalia congregare, Episcopi singulares in suis provinciis synodos cogebant, quarum definitiones ad Papam transmittabant, qui undique colligebat sententias, definiebatque quid statuendum esset, cumque omnibus deinde hoc communicabat; ejus rei multa affert exempla. Censuras Summi Pontificis et Episcoporum dicit *juridicas*, prorsus diversas a *doctrinalibus* et *scholasticis*, quae sunt Facultatum Theologicarum Catholicarum Universitatum, penitus carentibus ulla jurisdictionis specie. Privata judicia modo habent ii qui capita et vertices Ecclesiarum constituti sunt. Graviores fidei quaestiones eam ob causam ad Romanum Pontificem referri debent, quia *ad statum Universalis Ecclesiae* spectare possunt, ejus cura Summo Pontifici tamquam Capiti omnium Ecclesiarum mandata est, ut factum est in haeresi Nestoriana.

„*Confirmatio electionis Episcoporum genuino jure ad Synodum provincialem, aut ad Metropolitanam pertinet, quo etiam data opportunitate reduci posset*” (§ III). Agnoscit igitur Febronius Episcopos Graecos veros Episcopos esse habendos, indicans etiam in Occidente usque ad tempora Alexandri IIIⁱ, (1159—1181) confirmationem electi Synodo provinciali mandatam fuisse, quum electio, sive potius consecratio jam facta, Papae significabatur, ejus communione petita transmissa fidei professione. Galli conati sunt antiquum illud jus ad Episcopos reducere, quum notae dissensiones inter Innocentium IX^{um} et Ludovicum XIV^{um}, iis hoc periclitandi commodam occasionem praebebant. Quod si fieret immensae etiam devitarentur pecuniarum summae, quotannis Romam missae.

„Cujus vero est electionis confirmatio, ejus etiam est Postulationem admittere; nisi dispensatio, qua eget postulatus, excedat potestatem confirmantis.” (§ IV). Postulatio per se Majores Causas ad non pertinet „nisi quando de tali agitur, in qua Postulato opus est dispensatione, quam *Jus novum* Papae reservat, uti in defectu natalium quoad dignitates.”

Quaestioni: quibus causis Metropolitanorum jura in his et similibus diminuta sint, respondet verbis Zallweinii. ¹⁾

„Quod attinet ad donationem Coadjutoris cum futura successione, serius haec inter Causas Majores numerata est” (§ V.), scilicet: exeunte demum saec. XIII^o a Bonifacio VIII^o.

„Episcoporum Translationes, semper auctoritate Synodorum Provincialium factae, demum vi falsarum Decretalium Romano Pontifici reservatae fuerunt” (§ VI); quod quidem factum est tempore Innocentii III; quum prima huc spectans Decretalis sit anni 1198ⁱ. Probari potest

1) l. l. Tom. IV. Quaest. 2. cap. 2. § 7.

- 1^o. Collectio Isidori, quae omnia illa jura Summis Pontificibus tribuit.
 - 2^o. Synodi Provinciales, antea tam frequentes, desierunt.
 - 3^o. Pontifices ipsi, ope falsarum Decretalium, Metropolitanorum jura restrinxerunt et aetioribus limitibus circumscribere coeperunt.
 - 4^o. Iidem variis privilegiis Episcopos subtraxerunt obedientiae Metropolitanorum, sibi immediate subjecerunt.
 - 5^o. Frequentia appellationum ad Sedem Pontificiam, et reservatio omnium fere Majorum Causarum.
 - 6^o. Reservationes dignitatum et beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum collationem Pontifices ad se traxerunt.
 - 7^o. Jura et privilegia annexa Pallio, quo Roma Archiepiscopos et subinde Episcopos decorans, eos sibi immediate subjectos reddit.
- F. p. 242, 243.

jus illud quarto, sexto et octavo saeculo Episcoporum provinciae fuisse. „*Isidem mutationibus etiam subjectae fuere Episcoporum Cessiones*” (§ VII); Canon enim, quo „Episcopatus abdicatio inter causas Majores numeratur, est Innocentii IIIⁱ.”

„*Causae depositionis Episcoporum Jure ad Synodos Provinciales pertinent, plurimaeque Decretales confictae sunt, ut eae inter reservata S. Pontificis jura referrentur.*” (§ VIII). Non accusandum censet Febronius Innocentium III^{um} ejusdem criminis, quod perpetravit Isidorus: illum hujus falso quodammodo innocenter deceptum esse statuens. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. 5. Decretalibus illis adhaesit, obstante Ecclesia Gallicana, statuente mandata illa antiquissimo Juri regio et privilegiis hujus Ecclesiae adversari. 1) Nicolaus I. Papa magnus vindex horum novorum jurium fuit, atque in iis sustinendis atque defendendis jam summa audacia usus est. Judicat scriptor „*erectionem novorum Episcopatum nullo expresso Juris textu, sed tantum observantia, Romanae Sedi reservari*” (§ IX). Etiam Tridentinum Concilium hac in re non favit potestati Papali, quae sensim crevit, etiam missionibus ad extraneas frequenter factis, pro Primatialis officii jure ac debito; quae ansam dede-

1) „Si quaeritur quomodo Galliae antistites passi sint, causas Episcoporum a Synodis abstrahi provincialibus, et Romam deferri,” exempla adsunt nonnullos id fecisse Episcopos, *quando pro sui causa agebatur*, v. c. quando accusati de criminibus subtrahere se voluerunt judicium suorum cognitioni, ut primum factum est anno 785° Hadriano Papa; certe non in honorem illarum Decretalium! — Nonnulli etiam „sub sento Pallii, a Romano Pontifice obtenti, se a jurisdictione Provincialium Synodorum exinebant.” F. p. 253, 254.

runt, ut facultas novos Episcopatus creandi in solius Papae manus decideret. ¹⁾

Circa saeculum X^{um}, imprimis auctore Joanne X^o Papa, Summi Pontifices sibi vindicarunt jus, obstantibus tamen Episcopis, *novas Metropoles et Ecclesias Primitiales instituendi*" (§ X). Concedit tamen Febronius, si ageretur de novo instituendo Patriarchatu intra fines antiqui Occidentalis, id non posse fieri Patriarcha Romano dissentiente.

His expositis demonstrat auctor, adversus Cardinalem Orsum, „*nec ullum Juris Monarchici attributum, per totam Ecclesiam, Romanae Sedi adhaerere; attamen in negotiis universam Ecclesiam spectantibus, Papam tamquam Primatem, extra Concilium, nullum valere, praesertim sui negatione assensus*" (§ XI). Testes affert Febronius Papas Julium I^{um}, Leonem I^{um} et Gelasium I^{um}, ipsos confitentes ²⁾ se ad servandum Universalis Ecclesiae placita obligatos esse. Sententiam „Papam non habere superiorem in terris qui eum judicet," Gersonius jam oppugnavit in Tractatu suo *de Reformatione Ecclesiae in Concilio Universali*, cap. XVIII^o.

Transiens ad Caput Quintum, hujus libri in quo agit „*de Legibus Ecclesiasticis, earum pro Universali Eccle-*

1) Observat Febronius antistites suo tempore plerumque scribere: „Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopos," saeculo XIV. necdum in usu; quae formula congruit cum sententia Gregorii M. dicentis eos: „Beati Petri Apostolorum Principis largitate esse Pastores." F. p. 257, 258.

2) BOSSERTIUS (de *Potest. Eccles.* Lib. XIII. cap. 15.) dicit: „non ex proprio cerebro vanisque ratiocinationibus Christianae Reipubl. formam effingendam esse: sed Scripturis et Traditione demonstrandum, Ecclesiasticam Monarchiam sub Christo, praecipuo Monarcha, constitutam esse, quod falsissimum est." F. p. 263.

sia ferendi jure et de Appellationibus ad Romanum Pontificem” exponit quaestionem „*Romanus Pontifex an et quatenus habeat jus condendi leges in causis Fidei, universam Ecclesiam obligantes?*” (§ I). — Verbis Christi, quae leguntur apud Lucam cap. XXII. s. 32, 1) Curiae fautores abutuntur, quum minime trahi possint ad Petri successores. Attamen concedit obsequendum esse Papae decretis, „quamdiu Ecclesia non reclamatur,” porro statuens: „*In Materiis Disciplinae Papam non habere potestatem obligandi totam Ecclesiam. Imo ne Generalium quidem Conciliorum decreta, in materia disciplinari particularibus Ecclesiis obligare sine receptione.*” 2) *Leges etiam pro Universa Ecclesia legitime latae non obligare, nisi in provinciis promulgatae sint. Eas autem semel receptas, non posse pro beneplacito Papae mutari*” (§ II). Attamen singulares usus et leges diversarum Nationum et singularium Ecclesiarum „laudabiles et inviolabiles” dicit, 3) „dummodo communibus Ecclesiae et essentialibus

1) „Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquid, quando conversus confirma fratres tuos.”

2) Canones Tridentini Concilii hoc probant, qui, quamvis a Papa Pio IV^o solenni constitutione sint confirmati, atque Romae annis 1563, 1564. publicati, „non in Gallia vim legis obtinuerunt, quum ibi non publica auctoritate recepti sint.” — „Ad eujuscunque legis rationem omnino pertinere publicationem, noverunt et impleverunt Concilia, primum Apostolorum (Acta XV), Nicaenum, aliaque.” F. p. 282, 285.

3) De iis Leo Papa IX. sic locutus est: „nil obsunt salutem credentium diversae pro loco et tempore consuetudines, quando una fides, per dilectionem operans bona quae potest, uni Deo commendat omnes.” F. p. 278. Diversitatem morum a Conciliis observatam esse, probat auctor exemplo Tridentini, quod propositum non habuit suis Canonibus Orientales obligandi.

constitutionibus non repugnent, quibus derogare non esse in potestate Summi Pontificis."

Pertinet omnino ad Primatum Romani Pontificis, ut leges, quas necessitas vel utilitas Ecclesiae postulare videatur, universali Ecclesiae *proponat*. Publicatio vero quae tantummodo Romae sit facta, minime valet pro universo Christiano orbe. Romani usum illum induxerunt, „haud ignorantes plures ex iis, quas evulgant, Constitutionibus, alibi non acceptandas et publicandas fore." 1) Romani Pontifices rursus tenentur legibus universalibus Conciliorum, quod ipsi saepius agnoverunt, (ut etiam in Fidei professione, quam olim electi edebant, et quae invenitur in *Libro Diurno Romanorum Pontificum*); et si Curia adversus haec attentare praesumat non tantum Episcoporum, sed et Principum secularium foret, sese hisce fortiter opponere, ut fecerunt multi Imperatores et in Gallia Ludovicus Sanctus.

Quod de singularibus Constitutionibus Romanorum Pontificum dictum est, valet etiam de integris Collectionibus Canonum, „*quae non nisi ex receptione et observantia Juris vigorem obtinent, quod nominatim valet de Decreto Gratiani, de Decretalibus Gregorii IXⁱ et reliquis partibus Juris Canonici. Eadem, imo minor ratio habetur Regularum Cancellariae, Bullae Coenae, et Declarationum Concilii Tridentini,*" (§ III.) quae scorsim ab auctore memorantur, dein vero dijudicantur.

1) Hoc loco commemoranda sunt verba egregii cujusdam Gallici Jurisconsulti, quae citat Febronius: „Tot habemus libertates, quot novas habent, aut formare possunt Romani praetensiones, alienas ab antiquo et genuino Jure Communi." F. p. 287.

„*Ampla quidem auctoritas, non tamen jurisdictio proprie ita dicta Romano Pontifici in omnes Ecclesias competil.*” Hoc probatur argumentis, hanc in rem ex Tridentino, Florentino aliisque Conciliis petitis ¹⁾ (§ IV). Horum effatis simul sumptis omnino indicari quidem videtur *jurisdictio eaque propria potius, quam nudus Primatus honor et Directoris officium*; sed haec interpretationem accipere debent ex iis, quae de modo communicandi Ecclesiarum inter se, speciatim Romani Episcopi cum Alexandrino et per hunc cum Aegyptiis, jam dicta sunt. Ceterum restat probari, omnia ea facta esse sine superioritatis Ecclesiasticae usu aut jure, simul vero ea quae perpetraverunt Romani Pontifices, revera pertinere ad jus Primatus, „cui fidei cura mandata erat.” — Concludit Febronius se, omnibus rebus bene perpensis et distinctis, nil invenisse de propria jurisdictione, quae primo aspectu sese oculis praebeat. Quae per temporis decursum usu vel abusu instituta fuerint „haec nihil valent adversus instituta Christi et veram Ecclesiae Oeconomiam.”

„*Romanus Pontifex contra legibus Ecclesiae communibus obligatur.* ²⁾ *Quaeritur tamen an et quomodo in*

1) Imprimis TOURNELIUS (Tournely, Dogmaticus Franco-Gallus † 1729) in *Curso Theologico Tract. de Ecclesia* (Quaest. V. art. 2.) ea prae ceteris studiose collegit, quae pro generali legislatoria et judiciaria Romani Pontificis per universam Ecclesiam potestate solent et possunt allegari. Indicat tamen Febronius, ea omnino sufficere ad probandam *directivam* quidem illam *auctoritatem*, cum Primatu necessario conjunctam, minime vero *propriam jurisdictionem*, quam scriptor ille vult indicare.

2) „Non quoad vim *coactivam* sed quoad vim *directivam*, Romanae Curiae factores illam S. Pontificis sumpserunt obligationem.” F. p. 317.

iis dispensare valeat et quomodo id possint Episcopi?" (§ V). Modo duae causae dispensandi sunt, scilicet: *necessitas* et *utilitas*, quas jam S. Bernardus statuerat. 1) Episcopi per tria prima secula jura dispensandi habebant, quae postea ad Concilia, ab iis deinde ad Pontificem transierunt. Quamquam exempla exstant, seculis IV^o et V^o a Romanis Pontificibus dispensationes petitas fuisse, tamen a saeculo VI^o ad XII^{um} usque, Episcopi et particulares Synodi passim illo suo jure utebantur; attamen saepe recursus ad Romam fiebant, maxime in causis majoribus et difficilioribus. „Ex jure ligandi et solvendi” Episcopo cuiusvis dato, in sua dioecesi Dei Ecclesiam regenti, sponte sequitur illa Episcoporum potestas. Sed nonne ita inferior dispense in lege superioris? Si hoc valeret, etiam impediret Papam, „quominus in decretis Generalium Conciliorum dispensare posset *in Gallia*, in qua iisdem Conciliis subesse creditur, et tamen rationabiles ejus dispensationes admittuntur.” 2) Exponens deinde, quomodo a sec. XII^o sqq. maxima pars dispensationum Sedi Apostolicae reservata

1) Lib. III. *de Consid.* cap. 4. „ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis: utilitas dico *communis*, non *propria*; nam, cum nihil horum est, non plane *fidelis dispensatio*, sed *crudelis dissipatio* est.”

Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III^o. cap. 50. et Tridentinum Sess. XXV. eodem modo statuerant. „Faciendum illud esse *cum prudentia et discretionem*, quod non est contra Canones, sed maxime juxta eosdem” dicit Febronius. F. p. 318.

2) Quibus addit: „Sic Theologi et Canonistae Romano Pontifici communiter attribuunt potestatem *certis in casibus* dispensandi *in lege divina*; ex ratione, quod acceperit omnem potestatem necessariam ad rectam fidelium gubernationem.” F. p. 320.

fuerit, in dubium vocat, utrum reservationes dispensationum, factae in Conciliis Generalibus, fuerint et sint perpetuae, quum magis id pendeat a iudicio pii et prudentis Episcopi. Narrans, nonnullas dispensationes Summae Sedi reservatas fuisse, etiam per Concilia Universalia, ut Lateranense IV. a^o 1215, quia melius prospectum credebatur disciplinae Ecclesiasticae, opponit huic opinioni sententiam Gersonii statuentis: 1) omnia quae immutanda sunt, fieri debere per Concilium Generale, de tempore in tempus habendum propter Ecclesiae reformationem. Tempore Concilii Tridentini ad Paulum III^{um} Cardinales dixerunt: „non licere dispensare in legibus, nisi urgenti de causa, et necessaria.” Et agnovit Bonifacius VIII^{us}, dispensationem contra Canones absque legitima causa Pontificis dispensantis conscientiam multum gravare. Haec omnia etiam valent de *Privilegiis*.

„Jus Appellationum Romano Pontifici item ex natura et jure Primatus non competit ex omnibus totius Ecclesiae

1) Gersonius in *Tract. de Reformat. Ecclesiae in Concilio Universali* cap. XXVI. „Caveat universalis Ecclesia super omnia, ut nunquam sub quovis colore concedat Papae potestatem dispensandi contra statuta Generalis Concilii, aut ea interpretandi, seu immutandi, propter varietates temporum, et novos supervenientes casus; sed quod solum illa debeant immutari per aliud Concilium Generale, fiendum de tempore in tempus propter reformationem Ecclesiae. Luce enim clarius constat, quod pro majori parte facta et ordinata in quatuor Generalibus Conciliis principalibus, et aliis Conciliis, per temporum successiones, statuta, crescente avaritia Pontificum, Cardinalium et Praelatorum, tam per Papae reservationes, quam per iniquas Camerae Apostolicae constitutiones, et Cancellariae Regulas, et *ambitiosas dispensationes*, absolutiones, indulgentias, etc. sint fere immutata, et quasi in derisum et oblivionem posita.”

partibus" (§ VI). Benedictus XIV. prae ceteris magni illud jus faciebat, sed Justinianus Imperator ne verbo quidem de Romani Pontificis iudicio locutus est; neque Concilia argumenta exhibent, quae satis sufficiunt ad stabilendas appellationes Romanas, quam ob causam etiam hac in re Curia ab Isidorianis decretis auxilium petiit et adhibuit. Agnoscit Febronius jus illud praecipuum suum fundamentum trahere a Canonibus Sardicensis Synodi (anno 347°), sed dicit „adjectitium privilegium memorata Synodo primo Episcopo tributum, ex natura Primatus ei non competens, ne indolem quidem genuinae appellationis habens” animadvertens „tantum quandam revisionis decernendae auctoritatem Papae tribui.” Improperie igitur *appellandi* voce usi sunt in Canone V° Latino Patres illius Concilii, melius textus Graecus adhibuit nomen *veluti appellantis*, quod aliis verbis etiam exprimi potest, ut *renovare examen, iudicium; causam iterum audiri.* ¹⁾

„*Providam tamen et cautam fuisse Canonum Sardicensium ordinationem*” (§ VII). statuit Febronius, quum omnibus hominibus a natura insitum sit, quando iniquius quoddam passi sunt, ad eos confugere, qui aliquam habent auctoritatem: sic etiam innocentibus damnatis via strata erat, ne in infinitum vagari permetteretur. Attamen illius Sardicensis statuti in Oriente et in Africa vix ullus fuit

1) Sequens aetas omnino existimavit, in his Canonibus agi „*de vera appellatione*,” quum ibi legatur „si appellaverit subaudito ad aliud iudicium et confugerit ad Romanum Episcopum.” — „Nova (ut etiam eam dicit Febronius), haec iudiciorum Ecclesiasticorum forma non per omnia placuit Afris, qui in synodo sua Carthaginiensi, anno 425° celebrata, de ea questi sunt.” F. p. 333, 334.

usus; itaque nec omnibus locis congruum, nec ubique receptum fuit, quia etiam Conciliorum statuta ibi non obligant, ubi non recipiuntur.

„*Falsae tamen Decretales illud statutum in infinitum extenderunt, magno disciplinae Ecclesiasticae detrimento, et justitiae dispendio, in hodiernum usque diem perdurante*” (§ VII). Ad hanc suam sententiam confirmandam verba affert S. Bernardi, qui promiscuas illas appellationes ad Romanam Curiam jam sua aetate improbaverat. ¹⁾

Capite VI^o agens „*de Conciliis Generalibus*” statuit: „*Jura Universalium Conciliorum practenso statui Monarchico Ecclesiae repugnare; Romanum Pontificem Generalibus Synodis subjectum esse, quod Constantiense et Basilienae Concilium aperte definierunt atque Concilium Tridentinum pluribus locis haud obscure significavit; denique Episcopos in Conciliis esse Conjudices, non meros Consultores Papae*” (§ I).

1) Lib. III. *de Consid.* cap. 2. „Quantos novimus appellasse pulsatos, quo interim liceret, quod numquam licet? Nonnullis etiam, quoad vixerunt, lieuisse appellationis suffragio nefaria scimus, v. g. incestum, adulterium. — Quousque murmur universae terrae aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas?” etc.

Vir doctissimus M. PERMANEDER l. l. Tom. I. § 145. exponens, quosnam collectio illa *pseudo-isidoriana* tulerit fructus, quod spectat ad disciplinam Ecclesiae, et commemorans acensationem, quam saepius in eam adhibuerunt ejus adversarii, scilicet: potestatem papalem nimis ab ea auctam et elatam esse, haec dicit: „besonders den letzten Punkt heben die Gelehrten der Französischen Schule, Fleury, de Marca, Constant, Baluze, dann von Espen, und Deutscher seits Hontheim, Theiner, Droste-Hulshoff, besonders Spittler, Gieseler, Eichhorn u. a. recht grell hervor.”

Concilia illa remedium certissimum habet errorum et scandalorum, quae saepius Ecclesiam infestarunt, „*eorum convocandorum jus nullo modo Summo Pontifici reservatum esse vel exinde apparet, quod octo priora Concilia Generalia sola Imperatorum auctoritate fuerint convocata* (§ II). Nonnulla etiam invito Pontifice hi convocarunt, Imperatoris esse rati aeternam populi salutem tueri ac promovere, id quod cuiusque competit imperanti. Nec Scriptura nec Traditio ullo modo probat jus illud *exclusivum* Concilia convocandi, unice Papae competere. „*Tacito vero Principum et Ecclesiarum consensu jus congregandi Universales Synodos, Romano Praesuli concessum fuit, non tamen absolute et pro omni casu*” (§ III).

Post octo secula exorto Orientem inter et Occidentem schismate, deerat unum illud conjunctionis vinculum, quod credebatur adesse in prima Sede; neque tamen principum assensus praetermittendus est, quem illos sibi semper vindicasse historia nos docet. Etiam penes alios illud jus potest adesse: itaque a Cardinalibus congregatum Concilium anno 1408^o Florentiae, declaratum est legitimum. Expositis causis, in quibus Concilium sine Papa congregari possit, v. c. si sit haereticus vel mente captus, ostendit: Concilium, semel rite congregatum, impedire debere, „ne Papa illud intempestive disrumpat.”

„*Duplex est in Conciliis praesidium, unum ab Imperatoribus, alterum a Pontificibus exercitum; his etiam competit jus proponendi, et primam sententiam salvo tamen jure Episcoporum enunciandi* (§ IV): „*Generalium vero Synodorum Decreta non indigent Pontificia confirmatione, quum acta singulorum Conciliorum probent eam non fuisse adhibitam*” (§ V), ante sec. XII^{um} nulla occurrente Synodo,

cujus decreta nomine Romani Pontificis, tamquam Praesidis fuerint concepta, quum suo nomine decerneret Synodus.

Si quaeritur de disciplina Ecclesiae, hac in re triplex Synodorum species distinguenda est: *Vel* Pontifex ipse Concilio interfuit, ut Caput Universalis Ecclesiae; *Vel* adfuit per Legatos; *Vel* neutromodo intervenit.

Nunquam videmus Concilia decretorum suorum confirmationem in Occidente a Sede Romana petiisse, excepto Concilio Tridentino, in quo novum quoddam perpetratum est. 1) Minime autem negat referri nonnulla acta ad Conciliorum confirmationem, ut Constantinopolitanum I^{um} et III^{um}, sed tales petitiones Pontificiae confirmationis nil aliud spectare existimat: „quam ut impetrarent aliquas litteras eorundem Conciliorum executioni inservientes, per testimonium approbationis Capituli Ecclesiae.” Et quod ad Tridentinum Concilium attinet, controversias, quae in eo aderant, fortasse ita componere voluerunt, ut, quum ad confirmationis unitatem recurrerent, unitas Concilii declararetur.

Quod vero memoratu dignum est: „*nullus unquam Pontifex ausus est decreta alicujus Concilii universalis demum in dubium vocare; contra vero Synodi Generales frequenter ad novum examen revocarunt materias et quaestiones a S. Pontificibus decisas;* 2) *quoniam in Con-*

1) Legitur omnino in Bulla Pii IVi Concilii Tridentini confirmatoria: „Concilium, dum confirmationem suorum Decretorum petit, veterum „sequi vestigia Conciliorum,” sed opponit Febronius, exemplis modo ex Oriente allatis, „eum, qui talia Pontificem dicentem fecit, parum versatum fuisse in historia Conciliari, vel ipsos fontes minime consuluisse.” F. p. 390, 391.

2) Ut Leonis M. decreta in Concilio Chalcedonensi, et tempore quo

ciliis Episcopi jure suo discernant et judicent" (§ VI). Perstricta Cardinalis Orsi opinione, qui Conciliorum Decreta nudam sibi cogitat confirmationem eorum quae Pontifices statuerant, addit: „frustra convocari Generales Synodos, si tota auctoritatis Ecclesiasticae et definientiae veritatis ratio in uno Pontifice consistat," quum „*saepius agnoverit Ecclesia, Concilia Generalia absolute esse necessaria*, ¹⁾ *eaque frequentius haberi optet Ecclesia, et Canones praecipiant*" (§ VII). Contra „*parum firmam esse illorum sententiam, qui a plurima parte Episcoporum, definitioni Romani Pontificis extra Concilium adhaerentium, ultimum et irrefragabile judicium constitui existiment*" (§ VIII). Observari jubet Salvatoris promissa: „ego vobiscum sum... ²⁾ si ubi duo vel tres... ³⁾ „per VIII. secula ita intellecta fuisse in congregandis Conciliis, ut interesset inter *singularia* judicia et *collegiale* conclusum. Principium vero „*de majori parte conclusum faciente*" est humani juris, ad quod Concilia non leguntur sese adstrinxisse. Neque absoluta universalitas desideratur, ut probatur Nicaeno Synodo aliisque, nam in causis

Papae Infallibilitas ex cathedra asserti jam coeperat, in Tridentino Concilio ab integro sententiae Lutheri, jam a Leone X^o damnatae, discessae sunt.

1) Ut Concilium Constantiense Sess. 39. — Idem agnoverunt Adrianus VI, Clemens VII, Paulus III. Febronius ipse ait: „Nam tunc etiam necesse est, ut in Ecclesia sit *certum et ultimum* aliquod judicium, quo scandala tollantur, et enatae haereses damnentur; alioqui brevi tempore Ecclesia universa in partes scinderetur et periret." — „Frequens eorum celebratio Spiritui Ecclesiae et Canonicis Sanctionibus conformis est." — Sic item judicarunt Patres Concilii Basileënsis Sess. XXXIX. F. p. 408, 411.

2) Ev. Matth. cap. XXVIII. s. 20.

3) Ev. Matth. cap. XVIII. s. 20.

fidei non oportet sequi plurimorum iudicium ¹⁾. Ecclesiam in Concilio congregatam, modo habere potestatem censet ad dirimendas haereses, quum „extra Concilium non nisi tarde et gradatim perveniatur ad unitatem sensus;” ejusmodi tamen unitatem non esse exspectandam in qua omnes acquiescant, cuique nemo aliquid opponat, facile intelligitur. „*Exemplis denique petitis ex controversia de Baptismo Haereticorum, inter Cyprianum et Stephanum Papam, illustrat et confirmat quae hucusque tradiderat*” (§ IX).

Quod attinet „ad legitimitatem appellationis a Romano Pontifice ad Generale Concilium, exinde hujus superioritatem omnibus seculis et ab omnibus Nationibus in Ecclesia agnitam fuisse” ²⁾ (§ X), concludit Febronius, animadvertens tamen in fastis iis antiquorum temporum Donatistarum, Nestorii, Eutychetis non *formales appellationes* commemorari, sed varias species *recursuum* in querimoniis a Pontificibus ad Generale Concilium, eo quidem tempore quo absoluta potestas in Romano

1) Non semper optima sunt, quae placent pluribus; in rebus ad doctrinam pertinentibus sapientium sensus praefendus est. Teste PALLAVICINO (*Hist. Conc. Tridentini*. Lib. XXII. cap. 4^o. n^o. 2 et Lib. XIX. cap. 15^o. n^o. 3.) noluit ipse Pius IV. ullum in Tridentina Synodo fidei decretum statutum iri, nisi ex summo Patrum consensu, quam ob causam eum laudavit BOSSUETIUS in *Defens. Cleri Gallic.* Lib. 1^o. cap. 2^o.

2) Ut jam ab AUGUSTINO Ep. 162^a. et Lib. II^o. de *Baptismo* cap. 4^o. et 9^o. Auctor affert LUDOVICUM HERICOURTIUM (*Loix Ecclésiastiques*. Part. I. chap. 25.) multis verbis probantem atque exemplis confirmandum: primis Ecclesiae seculis Papae infallibilitatem non fuisse acceptam, itaque valuisse appellationes ab eo ad Concilium, cui addit verba BOSSUETII (*Defens. Cleri Gallic.* lib. XVI^o. cap. 23^o.): „Novum sit fortasse vocabulum; ipsa res antiquissima, (scil. appellationum) et cum ipsius Ecclesiae constitutione conjuncta est.”

Pontifice residere minime aestimabatur. Postea vero, mutata hac in parte externa Ecclesiae Disciplina, et semper vigente opinione superioritatis Concilii supra Papam, valuit: „utendum esse, verac appellationis specie, tanquam forma processui judiciario magis accommodata;” quae *formales appellationes* inde a sec. XIII^o frequentari coeperunt, minus approbatae a nostro scriptore, quia appellando a Papa ejus auctoritas recognosceretur. ¹⁾

„*Plenius illustrans materiam de appellationibus a Romano Pontifice ad futurum Concilium, et declarans quibus in causis illae obtineant*” (§ XI), statuit, hic adesse, ut fere in omnibus rebus, *legitimum usum et abusum*. Legitimus usus cernitur in causis, quae conservationem orthodoxae fidei spectant; abusuum ansam praebent malevoli et perversi justitiam ita effugere tentantes. Julius II. et Gregorius XIII. severe has appellationes prohibuerunt, hanc ob causam omnino laude digni. Ecclesia haberet certum et promptum remedium occurrendi pluribus incommodis, si decreta plurium Conciliorum servarentur. Juxta Concilii Basiliensis et Constantiensis decreta, Concilium singulis decenniis congregandum esset. Quid, quod etiam Tridentinum Concilium mox „post natas haereses” congregatum, multum omnino valuisse putat. Haud exiguas congregandae et celebrandae Synodo universali obstare, nequaquam negat, summas tamen difficultates nasci ex Romanae Curiae oppositione contendit ²⁾. Frequentior Conciliorum con-

1) Innocentius IIIus, in gravi negotio dissolvendi matrimonii, Philippum Augustum a se ad Concilium Generale remisit.

2) „Ex horrore fere invincibili et oppositione Romanae Curiae adver-

vocatio Romanos Praesules iis tandem adsuesceret, simulque praeberet occasionem deliberandi de adjumentis, quibus Episcoporum ad ea accessus minus redderetur difficilis. Quod attinet ad utilitatem „*generalium Conciliorum, magna est in negotiis fidei; contra ex horum neglectu haeresium propagatio oritur. Major eorundem est necessitas ad conservandam et instaurandam disciplinam; Tridentinum Concilium magnam adhuc reformationis messem post se reliquit*¹⁾, a futuris Conciliis Universalibus colligendam” (§ XII). Et nisi vehementer obstitissent Romani et Curialistae, omnino multo provecior post Tridentinam Synodum apparitura fuisset Disciplinae reformatio, teste Francisco de Varga, Regis Hispaniae in eodem Concilio Oratore, multis nominibus laudato a Febronio, hac in parte sequente Pallavicinum, qui in Historia sua Concilii Tridentini, Lib. XXI. cap. 11. auctorem illum summis laudibus exornavit.

Ceterum omnino Febronius facit cum A catholicis sentientibus, nimiam Pontificis auctoritatem primariam causam esse habendam cum multorum abusu, qui adsunt in Ecclesia tum defectionum sec. XVI^o a Catholica religione, et adhuc esse obstacula fideles iterum conjungendi. Quid vero ad haec reponunt Romani? „His omnibus postulatis si indulgisset Pontifex, ejus auctoritas deserta jacuisset, et dum recuperandis laicis, et reconciliandis

sus sanctissimum ac divinum hoc institutum, ad cujus solum fere nomen ea contremiscit inde a Constantiensi et Basileensi Conciliis.” F. p. 454.

1) Ipsi Patres illius Concilii alios fructus inde acceperunt quam expectaverant. Citat hic auctor declarationem et protestationem anno 1563^o sub finem Tridentino Synodi factam a Carolo Cardinale a Lotharingia, quae exstat in libro: „*Mémoire pour le Concile de Trente*,” p. 571.

haereticis studeret, obsequentium sibi Germanorum Antistitum jacturam fecisset." 1) „Itaque ne pacis quidem amore remittere quidquam volunt ab acquisita illa potestate, ejusque exercendae ratione!" Sic queritur auctor „*referens singulatim abusus Ecclesiasticos inde a Constantiensi Concilio a viris piis et integris Nationibus publice incusatos, per Tridentinum non sublatos*" (§ XIII), quam tamen seriem satis magnam hujus operis partem implentem, brevitatis studio ducti hic exponere non possumus. 2)

Huic adjungit „*recensionem abusuum hodiernam in Ecclesia obviorem, qui acrioribus indigent remediis;*" quos quisquis sponte tolerat, summa injuria in Ecclesiam agit, nec potest salvare animam suam" (§ XIV), quibus saepe verbis indicat Ecclesiae salutem sibi omnino cordi esse. Nullo modo abusus illos defendi posse statuit, provocando ad „Apostolicae Sedis summa jura, privilegia et consuetudines," quas cum Claudio Espenceaeo „summas injurias, abusus et corruptelas dicit." 3) Remedium ad sananda lamentabilia haec mala praeclarum illud vult adhibere, quod S. Carolus Borro-

1) Sunt verba Cardinalis PALLAVICINI in *Hist. Conc. Trid.* Lib. II. cap. 7. *ad Gravamina Centum* a natione Germanica anno 1523º Papae Adriano VIº pro emendatione proposita.

2) Agit Febronius de iis a pag. 465—482. in suo libro.

3) Animadvertentibus quibusdam, sine his praerogativis Summam Sedem sustineri et Primatum ejus exerceri non posse, opponit, inde omnino patere, quantum depravata illa sit egeatque reformatione. — Et Augustini effato: „propter scandala devitanda, liberius improbare non audeo" opponit aliud ejusdem viri dictum: „non ideo quod aliqui praepostere scandalizentur a promovendo vero communique bono abstinendum est." — Itidem citat Gregorii MI verba in Homilia VIIa „si de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam ut veritas relinquatur."

maeus indicaverat in oratione sua habita in Concilio primo Mediolanensi scil.: „morum disciplinam facile restituemus, si qua ratione, quibusve factis primum constituta diuque conservata est, eandem nos in restituenda adhibebimus.” In exponendis tamen his abusibus, quodammodo timere videtur Febronius, ne ulterius quam fas sit, progrediatur. Quocirca cum sic exclamantem audimus: „Absit ut vel in minimo recedamus a respectu tanto Capiti debito.” Quumque nonnullos quasi audiat dicentes: „mitioribus verbis utendum esse, cum de Romano Pontifice sermo instituitur; in memoriam revocat Marcelli II¹⁾ verba: „non video, quomodo qui locum hunc altissimum teneat, salvari possit.” Quibus addit: „non memini hoc Pontificis effato graviora me protulisse? Et quis unquam corripuit S. Bernardum propter ea quae reprehendit in Eugenio III^o aliosve, propter ea quae in aliis Papis reprehenderunt?”

„*Adversus serioris aetatis abusus Ecclesia semper in Generalibus Conciliis reclamavit, et eorum reformationem studiosè quaesivit; quae tamen per Romanam Curiam ab optimo proposito nunquam non impedita fuit*” (§ XV). Acta Conciliorum nos docent, quibus artibus studiisque id effectum fuerit, „documentum posteris, quibus mediis deinceps utendum sit ad frangenda studia illa; solatium Catholicis Ecclesiam semper mansisse sine ruga; terrorem iis, qui in regnum Christi per haec studia invexerunt eum malorum cumulum, sub quo illud etiamnum gemit.”²⁾
 „*Quae de jure Generalium Conciliorum tradita sunt, ea*

1) Qui anno 1555^o per 21 dies Pontificatu functus est.

2) Quae verba leguntur in Febronii opere, pag. 489.

firmantur et illustrantur auctoritate Cardinalis Juliani ¹⁾, *Pontificii ad Basileense Concilium Legati ac Praesidis* (§ XVI), qui coram tota Synodo, die 16^o mensis Octobris anni 1433ⁱ, elegantem ac prolixam orationem habuit, in qua docuit: Concilium Generale legitime congregatum potestatem immediate habere a Christo, cujus decretis omnes, etiam Summus Pontifex, teneantur obedire; neque illud ab eo dissolvi posse." Sic et hoc Concilium superius esse Pontifice agnovit, habens jus „reformati Ecclesiam in Capite et membris," quamquam minime Apostolicae Sedi et Papae adversa defendere credidit, dicens: „Decreta hujus Concilii non sunt contra Sedem, sed pro illa," sed Decreti Concilii Constantiensis sententiam suam declarans: „haereticum esse qui reformationis studii potestatem Concilio Generali denegaret."

Capite VII^o agens de „*auctoritate Episcoporum ex Jure Divino*" ponit „Christum Episcopatum instituisse, eique propria jura attribuisse, perpetuo illi adhaesura. Inde sequi aequalem omnium Episcoporum auctoritatem," (§ I) colligit e verbis quae leguntur in Euangelio Joannis cap. 20^o

1) JULIANUS, tit. S. Angeli Cardinalis, origine Romanus, nomine atque illustri prosapia Caesarinus, primum in Academia Patavina Jurisprudenciam docuit; sub Pontificibus Martino V^o et Eugenio IV^o Conciliis adfuit, praesertim Florentino et Basileensi; gravissimas denique legationes suscepit eorundem Pontificum nomine ac jussu in Angliam, Bohemiam, Poloniam, Germaniam, et demum in Pannoniam, in quarum postrema anno 1444^o pro gloria Sanctae Sedis, manibus impiorum militum ocnbuit. — Haec narrat Febronius pag. 516^a sui operis, addens verba quae Julianus in eadem Oratione pro Concilio locutus est: „Ego, ut multi sciunt, satis laboravi pro Eugenio, et adhuc laborare vellem, et ponere me in perpetuis carceribus Venetiis aut alibi, ubi ipse vellet, quod fortasse pauci facerent," quae verba profecto non sunt viri immani odio in Sedem Romanam ducti.

s. 21^o, „sicut misit me Pater et ego mitto vos.” Jam Ambrosius et Hieronymus idem censuerunt de aequali illa Episcoporum auctoritate, et in Scriptura (Gal. I s. 1. Luc. VI s. 13. Marc. XIV s. 15. et Matth. XVIII. s. 18.) idem docetur. Nil valuit per duodecim circiter secula potestas papalis in ordinationes Episcoporum. 1) Ligandi, solvendi potestas, annuntiandi Evangelii facultas omnibus et singulis simul datae sunt, non, ut sponte patet, fuere dona Apostolis propria, ut plenitudo scientiae, donum linguarum, vel miraculorum. Rejicienda est sententia, Petrum cuius Apostolo certum assignasse populum. Episcoporum cura pastoralis quoad ejus fieri potest, ad omnes fideles sese extendere debet. Ad seculum usque nonum Episcopi erga Romanos Pontifices nomine *fratris* usi sunt, ab eo inde tempore *Patres* eos dicentes, quod nomen jam Gregorius IV. (827—844) strenue defendit. 2)

Denique animadvertit Febronius, Bellarminum 3) e scripturis N. T. locum nullum attulisse, quo Episcopus omnes a Papa jurisdictionem accipere confirmet; quod ad hunc refutandum in re tanti ponderis plane sufficiat.

„*Quaestio de immediata Episcoporum auctoritate, in Concilio Tridentino proposita* 4), *neq; tamen aperte definita*

1) Jurisdictionem omnium Episcoporum in toto orbe Catholico ex Primatu Petri dimanare, Gregorius Zallwein l. l. „rem quodammodo absurdam, et vires intellectus humani transcendentem” dicit.

2) „Dum congruentius esset, solam ei paternam reverentiam exhibere,” ut scripsit ad Episcopos regni Francorum.

3) Lib. IV^o de Rom. Pontif. cap. 24^o et 25^o.

4) Historiam motuum, ad quos haec quaestio in Concilio illo ansam dedit, exposuit NATALIS ALEXANDER in *Hist. Eccl.* Tom. VIII^o. Diss. XII. n. 2. 3.

fuit, expositis tantum et ponderatis argumentis, quae in utramque partem proposita fuerunt". (§ II).

Rejicienda est sententia: „*omnem jurisdictionem a Papa in Episcopos dimanare. Romano Pontifici non competit facultas exercendi in aliorum dioecesibus jura Episcopalia,*" (§ III), quod item senserunt Innocentius I, Leo Magnus et Gregorius Magnus, et a Gallica natione strenue imprimis agnitum est ¹⁾.

„*Omnium beneficiorum collatio genuino Jure ad Episcopos pertinet; serius et variis modis atque titulis, plerumque in ignorantia veri Juris Ecclesiastici fundatis, beneficiorum provisiones ad Romanam Sedem devolutae sunt. Equidem inconvenientiis inde natis per varia Concordata modus aliquis positus fuit, sed non satis firmus.*" (§ IV). Primum illud quidem satis indicant Acta VI. s. 3. et Ep. ad Tit. I. s. 5; usque ad seculum XI^m penes Episcopos fuit omnis beneficiorum collatio, tunc exstiterunt *Mandata, Expectativae et Reservationes Apostolicae.* ²⁾

Quod pertinet ad Reservationes illas posteriori loco relatas, earum historia ingens jam accipit lumen a Gravaminibus Ecclesiae Gallicanae, Innocentio IV^o a rege Ludovico IX^o transmissis; cacterum non defuerunt causae, quas Praerogativis suis praetoxere Romani Pontifices conati sint.

1) BOSSUETUS (in *Defens. Declarat. Cleri Gallic.* Lib. XIII. cap. 11.) doctrinam illam, qua defenditur Episcoporum jurisdictionem omnem a Papa derivari, vocat *Commentum*, quod praecis seculis inauditum, 13^o seculo invchi coepit in Theologiam, postquam scil. Philosophicis rationationibus, iisque pessimis, agere, quam Patres consulere, plerique maluerunt."

2) Vocc *Mandati* primus usus est Alexander III. (1159—1181).

Annatae (§ V). exstiterunt postquam Romani Pontifices sibi attribuerunt collationem plerorumque beneficiorum; quum scilicet coeperunt cogitare de fructibus ex iis acquirendis. Possuntne a culpa *Simoniae* eximi? Certe novum ac vix tolerabile onus sunt habendae, quod valde infirmo nititur fundamento et genuinae Primatus naturae non convenit. Passim ab Episcopis Romam magnae pecuniarum summae ex vacantibus beneficiis delatae sunt. Tempore Clementis VI de hoc abusu jam graviter questum est. Alii Annatarum peculiarem originem tribuunt Joanni XXII^o, alii Bonifacio IX^o. Nationes Gallicae et Ungaricae strenue sese iis Annatis opposuerunt. Basileense Concilium earum exactionem prohibuit, ea tamen lege, ut congruum aliunde subsidium Romano Pontifici subministraretur; quod si omnia redirent ad statum Canonum, Curia subsidiis illis carere posset et deberet. Natalis Alexander docet „*eas non esse revocandas, quamdiu concordata fideliter servantur*” 1).

Jure divino et antiquo Ecclesiastico nullae causae Summo Pontifici reservantur, sed nec jure veteri ullae dispensationes Sedi Apostolicae servatae intelliguntur” (§ VI). Jam inde ab annis 1143. et 1179. exstant documenta talium Reservationum, quum postulabatur, ut ipsi homines adirent S. Sedem, mulieribus infirma valetudine, similibusque exceptis. Tridentinum Concilium his Reservationibus aliquo modo favisse videtur; at probe teneatur, Isidori Decretalium fraudem, uti jam saepius

1) In *Hist. Eccl.* Tom. VIII. pag. 581, quamvis de cetero Annatae titulo *subsidii charitativi* a vitis simoniae et injustitiae liberet.

dictum est, id temporis nondum detectam vel ab omnibus agnitam fuisse. 1)

Rejecta sententia de Romani Pontificis Universali ordinandi imperio corrui privilegium Mendicantium excipiendi Confessiones in aliorum dioecesibus, cui privilegio Episcopi strenue sese opposuerunt (§ VII). In Anglia alibique sub finem sec. XIII hoc factum est, quum Gregorius IX. anno 1227^o iis hoc privilegium concessisset. Bonifacium VIII^{um} fefellit spes huic discordiae finem imponendi; permansit enim usque ad Tridentinum Concilium. Nonnulli Regulares illos ad primariam institutionem reducere volebant *auxiliarium* et *subsidiariorum* Praelatorum ac Pastorum ordinariorum; sed Curiales Romani restiterunt, una cum his privilegiis defendere conantes: „plenitudinem Pontificiae potestatis et jurisdictionis.” Benedictus XI. et Pius V., qui ipsi Monachorum ordini addicti Pontificiam dignitatem assumpserant, Regularibus multa tribuerunt privilegia, Juri Communi et Canonibus prorsus contraria.

„Exemptis Regularibus juribus Ordinariorum durum et immeritum vulnus inflictum est. Etiam in Tridentino Concilio multa acta sunt de tollenda hac exemptione; quum graves rationes, tam politicae quam ecclesiasticae referantur, harum exemptionum abrogationem adhuc postulantes” (§ VIII). *„Quod Episcopi Cardinalibus serius fuerint*

1) Sess. XIV. cap. 7. declarans: „Pontifices maximos, pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari iudicio reservare.”

„Potuerunt, scilicet „*consentientibus Episcopis*” ex quo in Pontificis potestate non sit, sine illorum participatione et consensu limitare potestatem, quam ipsi a Christo Domino acceperunt.” F. p. 585.

postpositi, non debet, neque potest, praedictum asserere illorum ordini, qui ex divina institutione in Ecclesia prorsus primus est." (§ IX). Antiqui Patres non commemorant Cardinales, neque eorum mentionem fecit Tridentinum Concilium.¹⁾ Olim erant Presbyteri et Diaconi urbis Romae, praefecti parochialibus Ecclesiis. Post Episcopos subscripserunt in Concilio Romano anno 993° sub Joanne XV°, et Claromontano, anno 1095° sub Urbano II°. Regnantibus Nicolao I°, Alexandro III° illorum dignitas crevit; item regnante Innocentii IV°, qui sedis honorem supra Episcopos iis tribuit, et Bonifacii VIII, qui aequales Principibus eos declaravit. Nicolaus de Clemangis, in Tractatu *de Corrupto Ecclesiae Statu* cap. XIII. queritur de ingenti numero beneficiorum quae possident Cardinales; quod ut confirmaret Febronius, exempli instar refert, Benedictum XIII^{um}, quum ipse anno 1725° Romae adesset, *centum et undecim* vacantia beneficia in unum contulisse.

Si quis autem quaerit „*qua via Episcopi in jura sua redire queant?*” (§ X). responsionis loco Febronius usus est verbis Gersonii²⁾ dicentis: Episcopos ad Principes orthodoxos querelas suas deferre posse. Nam vel per-

1) Sess. XXIII. Can. 6.: „Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, Presbyteris et Ministris, Anathema sit.” — „Papae liberum est, scribit Febronius, quoscunque sibi Consiliarios et Ministros assumere, sed sine praedictis eorum, quos Christus jam ante in hoc officio, et primario quidem, instituerat. Hujus instituti memoriam Romana Sedes in eo saltem hucusque servat, quod ex Stylo Curiae Papa Episcopos *Frates* nominat, Cardinales *Filios*.”

2) In Tract. *de Statibus Ecclesiasticis*. Tit. *de Statu Praelatorum*. Consider. IX^a. Tom. II.

petuo litigare debent Episcopi cum Romana Ecclesia vel juribus suis cedere, quod non possunt; itaque prior illa via, licet difficilis, ineunda est. Sed inquit Febronius „an non possint per se ipsos suarum Sedium sui que Ordinis jura, Canonicis nixa institutis, contra quoscunque tueri et vindicare?“ et laudat exemplum Anglicanae Synodi anno 787° habitae. 1)

In Capite Octavo agitur „de Libertate Ecclesiae ejusque restaurandae jure et causis“. „Ecclesia Universalis habet suas libertates communes; particulares Ecclesiae particularibus utuntur consuetudinibus, quae utraeque sacrae sunt, et quae consistunt in retentione et executione veri Juris, rejecto falso.“ (§ I). *Causa primaria lapsus Disciplinae et alteratae formae Ecclesiasticae iterum quaerenda est in falsis Isidori Decretalibus, quae usque ad recentiora tempora Actis publicis normam dederunt* 2). (§ II). *Facilem accessum fraus illa Romae invenit.* (§ III). sed Romanos Pontifices hac in re non accusat Febronius, „palponum omne istud opus est.“ — „*Minime vero genuina Ecclesiae jura ita nebulis obducta fuerint, ut nunquam veritatis radius perrumperet, uti hoc factum est tempore Concilii Viennensis (1311) et Constantiensis.*“ (§ IV).

1) In qua statuerunt congregati Episcopi: „ut privilegia antiqua a „sancta Romanae Ecclesiae Sede delata, Ecclesiis omnibus conserventur. Siqua autem propter assensum pravorum hominum, contra canonica instituta conscripta sunt, avellantur.“

2) Jam annis 785. et 787, Hadriano I° Papa, indicia occurrunt illarum Decretalium; „latet, quamdiu ante notae fuerint; sed constat eas post annum 744um compositas esse, et quidem Romae, ut gravis est suspicio.“ — Sec. IX° ad eas provocavit Nicolaüs I, anno 992° in Concilio Remensi Episcopi Galliae iis nisi sunt, ut deinceps factum est. F. p. 643.

Ignorantia artis criticae impedit, quominus in pugna illorum Decretorum cum genuino Jure Sacro, jam seculis IX^o et X^o orto, veritas vinceret.

„*Ecclesia Romana ex suppositis Decretalibus maxima percepit commoda; quibus, veritate nunc detecta, salvo jure gaudere non potest,*” (§ V). „*quam hac in parte Romanis non prosint praescriptio, cessio, possessio, consuetudo,*” (§ VI). nam ut Baronius ait: „*Jura veritatis ampliora sunt omni antiquitate, quippe quae nulla plurimorum seculorum valeant praescriptione laedi, nec innumera testium multitudine obrui atque labefactari.*”

„*Quae ex nimia religione, obscuris seculis, Pontificiae auctoritati adjecta fuerunt, nunc cognito genuino Jure Publico Ecclesiastico, in justum ordinem redigenda sunt.*” (§ VII). „*Immoderata tamen illa potestas, qua Romanus Pontifex post falsas Decretales uti coepit, quaque hodie dum fruatur, Ecclesiae valde noxia est, atque impedimentum infert quominus iterum conjungantur Ecclesiae schismate divisae.*” (§ VIII). Et quidem confitetur Febronius inter querelas Protestantium adversus Papam aliquas fuisse justas et magnas, sed „*eos merito esse culpandos dicit, quod debitos honores et praerogativas Capiti negent, utentes etiam odiosis comparationibus, et immoderatis adversus illud exclamationibus.*” Fateri et declarare Protestantes, contendit Febronius, ¹⁾ „*solam Romani Pontificis Monarchiam,*

1) Testes afferuntur: LENFANT, *Préservatif contre la réunion avec le Siège de Rome*. Tome IV. Lettre 5. pag. 213. SCHILTER, *de Libert. Eccles. Germ.* Libr. VII. cap. 14. § 22.

Valeantne, quae dicuntur singulorum et omnium Protestantium sententiae? Num esset unicum hoc reconciliationis impedimentum? . . . Nonne auctorem studium suum fefellit, magis ab eo expectans, quam

egressam illam extra fines legitimi Primatus causas esse scissionum seculi XVI, quae si dirimantur, unitas et concordia in Ecclesia restitutum iri. De discrimine vero doctrinae et dogmatum ne verbo quidem monet. Quod ad patriam nostram attinet, „notum est,” inquit Febronius, „in provinciis Focderati Belgii, Catholicis (quorum numerus tantus est, ut tertiam partem omnium incolarum constituent) omnem viam ad publica munera ex sanctionibus Statuum praeclusam esse”.¹⁾

Causam, ob quam Jesuitae ex Anglia ejecti sunt, memorat Hugo Grotius²⁾ „quod id genus hominum docerent, Pontifici Romano jus esse populos in alterius Sectae Reges obsequio solvere; qua nullam exortam esse pestilentiore Imperiis sententiam.” Sed addit Febronius, sat aequitatis fuisse in Grotio, ut Lectores moneret, hanc non esse Romano-Catholicae Ecclesiae sed Curiae sententiam.” Idem statuendum esse ait de Graecorum schismate, inde orto quod nollent Graeci „talem agnoscere Primatum, qualem vellent Itali”.³⁾

fas erat? Certo quum Ecclesia statum formamque accepisset, quam voluit scriptor, saluberrimus quidam hic foret eventus, optimosque fructus prelaturus; minime tamen omnia quae sperare posset, naeta esset Ecclesia.

1) Fundamentum harum Sanctionum Potentissimorum Ordinum intelligimus ex BASNAGE (*Description du Gouvernement des Provinces-Unies*. chap. 39). scilicet: quia Catholici agnoscebant exterum in Spiritualibus Monarcham, ejus auctoritas saltem indirecte etiam in civilia Reipublicae ageret commoda.

2) *Hist. de rebus Belgicis*, Lib. III. pag. 454.

3) Multum sed frustra laborarunt ad tollendum illud schisma complures Pontifices, ut Innocentius III. post expugnatam ab Occidentalibus Constantinopolin, Gregorius X. in Lugdunensi II^o et Eugenius IV. in Florentino Concilio.

Febronius, licet arctissimum vinculum fidem inter et mores agnoscat, negat tamen Protestantibus ullam affuisse „scindendae unionis justam excusationem.” In univ-
sum „contra A catholicos peccantes immoderatione, et Romanorum imprudentem zelum quem vocant pietatem,” Febronius ponit veritatem, quae Majorum auctoritate ac traditionis regula efficitur. Et censet „*fas esse aliis gen-
tibus in id redire, quod Galli ex libertatibus Ecclesiasticis servarunt.*” (§ IX).¹⁾

„*Reductionem genuini Juris Canonici non impediunt Concordata a Romana Sede cum variis Principibus inita,*” (§ X). quum eo tempore orta sint, quo vigeant per-
versae illae sententiae de S. Pontificis potestate.

„*Minus vero libertati Ecclesiasticae officere Pontifices ipsos quam Curiam Romanam*” (§ XI). censet Febronius, citans Hadriani VI exemplum, de quo sic judicavit

1) De libertatibus Ecclesiae Gallicanae hic commemorandis egerunt inter ceteras DE MARCA, *de Concord. Saec. et Imp.* Lib. III. cap. I. n. 8. BOSSUETIUS, *Defens. Declar. Cléri Gall.* Lib. XI. cap. 15. FLEURY, *Instit. Jur. Can. Part. III.* cap. 25. HERICOURT, *de Legibus Eccl. Gall.* Lib. I. cap. 17. § 4. — „Quod Episcopi habent jus judicandi de causis fidei; 2). et statuendi in rebus disciplinae; 3). quod Episcopi non judicentur nisi ab Episcopis et secundum formam Canonicam; 4). quod Papa non possit facere functiones Ordinarii in alienis dioecesisibus, nisi de consensu Episcoporum dioecesanorum; 5). quod leges et statuta Romanorum Pontificum non obligent, nisi ab Episcopis recepta et approbata; 6). quod causae appellationum, ad Apostolicam Sedem delatae, Commissariis in partibus delegentur; 7). quod Papa non possit dare privilegia et exemptiones citra consensum Episcoporum, et permissionem Regis; 8). quod dispensationes non possit concedere sine legitima causa; 9). quod non valeat derogare legibus et consuetudinibus provinciarum et locorum, aut etiam legitimis privilegiis de libertatibus particularium Ecclesiarum.” F. p. 685.

Cardinalis Pallavicinus: „optimum sane Sacerdotem fuisse, sed Pontificem revera mediocre.”¹⁾

Capite IX^o vel ultimo agitur „de Mediis recuperandae libertatis Ecclesiasticae.” Quae sunt illa?

„Semper invigilandum et caute attendendum est ad omnia Romanae Curiae facta, vero Juri Sacro contraria, et singularum Ecclesiarum juribus noxia. Ipsa nos monet Religio, ut hoc faciamus.” (§ I).

„Primum adversus abusum Ecclesiasticae potestatis remedium est positum in apta institutione populi.” (§ II).

„Alterum invenitur in Concilio Generali libero.” (§ III).

„Tertium in Conciliis Nationalibus quaerendum est.” (§ III).²⁾

„Quartum haberi poterit in concordia Constituto Catholicorum Principum, adhibito Ecclesiasticorum maxime Episcoporum consilio.” (§ VI).

„Quintum est, retinere bullas Apostolicas, cujus remedii

1) *Hist. Conc. Trid.* Lib. II. cap. 9. Et Bibliothecarius Sorbonicus LAVOCAT in *Dictionario Hist.* Tom. I. pag. 22. ed. anno 1755: „Les Italiens ne l'aimaient point, parce qu'il voulait réformer les abus de la Cour de Rome, et qu'il n'était pas politique.” — Quid de sancta Sede statuerit Pontifex ille e nostratibus oriundus, apparet e verbis, quae leguntur in mandatis, quae dedit Franciseo Cheregato Oratori suo in Germaniam eunti: „In hac sancta Sede aliquot jam annis multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, et omnia denique in perversum mutata.”

2) Agnoscit Febronius: „ea multo commodius expediri in regno Monarchico, v. c. in Gallia quam in Germania, quum in aliis Romana Curia facilius divisiones excitet, quum Episcopi in regno Monarchico magis eum rege conjuncti, eique subordinati sint. De principibus autem secularibus „habemus autem,” ait, „ex experientia compertum, a saecularibus quandoque potestatibus, propter sua studia et compendia, exorbitantes Romanorum praetensiones sustineri.” F. p. 719.

justitia et universalis usus demonstratur." (§ VIII). „Exponit hoc loco scriptor singulares effectus falsarum Decretalium, qui populos egregie premunt et Principum attentionem prae caeteris excitare possunt ac debent."

„*Sectum in legitima resistentia ponitur.*" (§ IX.)

„*Postremum in Appellatione ab Abusu.*" (§ X).¹⁾

Haec omnia concludit Febronius indicando: „*Ecclesiae omnino interesse Primatum servari, sed ad legitimos fines reductum, quae reductio partim fiat per Papam ipsum, partim per Concilia.*" (§ XI).

His omnibus expositis, hac peroratione operi suo finem imposuit auctor: „Regibus et Principibus seculi, Pontificibus et Praelatis Ecclesiae timorem, honorem, reverentiam deberi scio, sed majorem veritati. Nec illa reverentia est, publicas noxiasque morum labes probrosa adulandi objectione ac coecitate tenere, sed potius Christiana pietate patefacere, et modestia redarguere. Utrumque exhibui, quantum Deo adjuvante potui, et nisi mea fallit opinio, quantum debui. Si quid durius forsitan mihi exciderit, vel potius alicui visum fuerit, in facta, non in personas dictum est."

„Hic augustam sed moerentem Ecclesiae faciem devotus intueri. Frontem dolore, non aetate, corrugatam haud despue, sed inspicere. Lacrymas in genis haerentes non detergere sed tuis misce. Querulam vocem non detestare, sed misertus audi. Ruentem in amplexus Catholicorum Regum et Principum non fuge, sed sequere.

1) „Ad depellendum graves injurias Principibus a Romana Curia illatas" vel „violationem saecrorum Canonum" ut statuit Imperator Justinianus in Novella 137^a. cap. 1^o.

Filios in sinum suum congregare volenti noli esse gravis. Disciplinam ad veros Canones reducere laborantem non damna, sed votis, consiliis, factis adjuva. Veteris aevi prudentiam, sagacitatem, modestiam, sanctitatem colauda. Tantam majorum virtutem strenue imitare." 1)

Hoc Conspectu ad finem perducto restat, ut in pretium, quod Febronii vel Honthemii libro sit statuendum, inquiramus. Quod quum dicimus, quaestio vix esse potest, utrum scriptor noster in omnibus et singulis verum viderit, vel potius nonnunquam aliquid humani passus sit. Hoc enim ut rite probeque dijudicari possit, nobis opus esset eadem vel majori etiam fontium cognitione, quali scriptor noster ornatus fuit, quae tamen a juvene vix aut ne vix quidem expectari

1) Commemorat deinde auctor in appendice prima BARTHELII, Consiliarii intimi Wireburgensis: *dissertationem tertiam de Concordatis Germaniae, die 31 Aug. 1762 publicae disquisitioni propositam*, e qua multa desunta, supplementi loco huic appendici primae addidit „non eo tantum fine, ut sua asserta tanti viri testimonio et auctoritate roboventur, sed ideo maxime, ut infirmiores ac metuculosi perspiciant, BARTHELIUM, quamvis cetera cautum, non aliter cogitare, nec minus loqui *de excessu Romanorum praetensionum et naevis Curiae*." Sic vero concludit: „Haec autem si vera sunt, aut (quod nunc sufficit) *si sine noxa, et absque periculo* dici, atque in Academia, apprime Catholica tradi, et doceri possunt; nemo prudens poterit damnare sequelas, quae ex iisdem sanis principiis cum prudentia deduxerunt viri probi, eruditi, pro bono Ecclesiae in et extra Concilia genuine solliciti, quorum verba plus, quam nostra plerumque exhibemus. Igitur, salvis BARTHELII assertis, nostra, iisdem parallela, improbari haud valebunt."

possit. Universe autem si Febronii opus respicimus, asseverare nulli dubitamus, auctorem revera probavisse quod probare sibi proposuerat, multisque in locis, magna exemplorum copia allata, ita rem suam egisse, ut adversariis vix ullum contradicendi reliquerit locum. Minime tamen negari potest, ex iis quae Febronius in votis habuit, si rata fierent, fere omnem Ecclesiae Romano-Catholicae eversionem orituram esse, quum aegre sperare potuerit auctor, fore ut Romanus Pontifex, sponte ac ultro ab iis recederet, quae per tot seculorum spatium sedes Romana in possessione retinisset, licet ea non genuino jure teneret. Quaerere igitur nobis licet, quid revera Febronius hoc libro edendo voluerit atque optaverit, et nonne ipse senserit, suos conatus, Pontificiae potestatis intra justos limites revocandae, irritos fore, aequae ac consilium suum dissidentes in religione iterum conjungendi ad pia vota esse referendum, quae felici carerent successu. Ceterum de hoc consilio, perquam laudabili, et supra jam egimus, et posthac in tertia hujus dissertationis parte, plura monebimus.

Quod ad Febronii sententiam de Pontificis Romani Primatu juribusque illi conjunctis attinet, quae veluti cor ac mediatullium totius hujus operis dici meretur; omnino fatendum est, auctorem media veluti in luce collocasse ac comprobavisse, multa magnaue jura per temporum decursum Romanae Sedi falso tributa esse, quibus Historia priorumque seculorum usus plane refragatur; sed iterum quaerere licet, utrum denegatis Pontifici Romano juribus, quae perperam illi adscripta fuerint, jus illud primitivum, quod Febronius ipsi vindicare ac reservare studet, meliori ac satis firmo nita-

tur fundamento! Saepius quidem Febronius huic quaestioni respondit, ajens v. c. (p. 95.) „Fundamentum hujus Primatus esse bonum Unitatis in Ecclesia,” et (p. 96.) „quae ratio movit ad instituendum Primatum, eadem illum fecit perpetuum.” (Omne fere Febronii systema huc redire dici potest.) Quacnam vero sit illa, quam tantopere laudat, Unitas, nullibi satis clare, accurate ac perspicue exposuit. Nonnulla sane peti possunt ex iis, quae dixit de Primatu, qui huic Unitati inserviat ejusque finibus; ac facile intelligitur, omnes omnino Romano-Catholicos eatenus cum illo facere, quatenus firmiter credant, cum Ecclesiam unam esse, tum Pontificis Romani dignitatem, tanquam capitis Ecclesiae, ad hanc unitatem sustinendam valde esse idoneam. Optandum tamen fuisset, sententiam illam de Ecclesiae Unitate melius atque accuratius fuisse expositam, Febroniumque etiam responsum dedisse quaestionibus: Utrum illa Ecclesiae unitas ejusmodi sit habenda, ut capitis unius Ecclesiae principatum ac dignitatem necessario exigat? Nonne etiam alio sensu accipi aliisque modis stabiliri et servari queat? Et quae sunt hujus generis plura, quae nunc mittimus. ¹⁾

De Primatus juribus agens, Febronius illa genuina

1) Animadvertendum tamen est, Febronium in Tomo II^o sui operis, melius exposuisse illam de unitate sententiam, ubi quaestioni: quo sensu et quo fine ac modo Romana Ecclesia sit Centrum Unitatis, respondet: „una mens, ejusdem fidei professione; unum cor, ejusdem charitatis vinculo; una ad salutem via, eorundem Sacramentorum communione; unum denique ministerium”. — Pag. 373. V. *Flores Sparsi ad Just. Febronii librum de Statu Ecclesiae, per THEODORUM A PALUDE adversus* FRANC. ANTON. ZACCARIA S. J. cap. II^o *de Primatu in Ecclesia, et genuinis ejus Juribus.*

habenda censet, quae in perpetuo Ecclesiae per sex vel septem priora secula usu, vel per recentiora quoque tempora in omnium Catholicarum scholarum concinnitate fundamentum habent. Ac sane haec aliis et fictitiis, quae senioris sunt originis, juribus longe praestant, nequaquam vero probavit, has regulas per se justas, sufficientes, omnique dubio majores esse. Verbo dicamus: contra Febronium idem valere statuimus, quod et contra Gallicanam Ecclesiam valet, ¹⁾ quod e Protestantium sententia nimium, e Romano-Catholicorum sententia parum Romanae Sedi ejusque dignitati tribuit, quapropter mirari vix possumus, praeclarum ejus opus, licet justis suis laudibus ac insignibus meritis minime sit defraudandum, neutris partibus plane satisfacisse. ²⁾

1) Ut egregie hoc exposuit BUNGENERUS in opere, cui titulus: *Trois Sermons sous Louis XV.* Tom. III. chap. LXI. pag. 226. sqq.

2) Nonnullas de Febronii libro prolatas sententias hic addamus: SCHMÖCKH, l. l. VI. s. 544, 545 sic de toto opere judicavit: „Es ist durchaus mit einer seltenen Kenntniz der Kirchengeschichte, der Schriften, der Kirchenväter, und vornehmlich des alten und spätern Kirchenrechts abgefasst, eine Frucht, wie man wohl sieht, von vielen Jahren: und wenn gleich die einschränkung des Papstes in seine ältesten Gränzen, nicht, wie der Verfasser glaubt, die Vereinigung der Protestanten mit der Römischen Kirche sogleich befördern sollte; so muszte es ihnen doch sehr angenehm seyn, so viele auszerst wichtige historische Wahrheiten auf gleichem Wege mit ihnen ans Licht gezogen zu sehen.“ — Prorsus alio modo LESSINGIUS judicavit de Febronii opere: (F. H. JACOBI'S Werke. II. S. 334.) „Es wäre unverschämte schmeicheley gegen die Fürsten, was Febronius und was die Anhänger des Febronius behaupteten; denn alle ihre Gründe gegen die Rechte des Papstes, wären entweder keine Gründe, oder sie gälten doppelt und dreyfach den Fürsten selbst. Begreifen, könne diesz ein jeder; und dasz es noch keiner öffentlich gesagt hätte mit aller Bündigkeit und Schärfe, die ein solcher Gegenstand gelitten und verdient, unter so

vielen, die den dringendsten Beruf dazu gehabt; dieses wäre seltsam genug und ein äusserst schlimmes Zeichen." — MENZELIUS autem l. I. S. 30, 31. censet omnino argumenta satis probabilia contra hunc librum a partibus eorum, qui Romano Pontifici adhaerent, afferri posse; v. c. „eine geistliche Gewaltherrschaft, wie sie Febronius darstellte, war in der Wirklichkeit nicht vorhanden, am wenigsten in den letzten Jahrhunderten zur Erscheinung gekommen. Wenn die allgemeinen, über eine solche geführte Klagen auf bestimmte Begriffe gebracht und mit dem einzelnen Handlungen, durch welche die Päpste mit den Deutschen Kirchen in Berührung kamen, verglichen wurden, so fanden sich wohl zahlreiche Ermahnungen, Vorstellungen, Belehrungen, Entscheidungen und Verwendungen — letztere an die weltlichen Mächte zu Gunsten der Geistlichkeit und Kirchen gerichtet — nirgends aber Gewalthandlungen; die angeblichen Bedrückungen bestanden in Verfügungen, welche mit denen der weltlichen Oberbehörden das Schicksal gemein hatten, gewöhnlich einem Theile zu miszfallen; die unleidlichen Anmassungen in der die Dispensationen, Appellationen und Facultäten betreffenden Praxis, welche die Curie als päpstliche Reservatrechte an sich gezogen, und in der Wirksamkeit der päpstlichen Nuncien zu Wien, Cöln und Brüssel, welche zuweilen mit der ordentlichen Gerichtsbarkeit der Bischöfe in unangenehmer Weise zusammenstieszen; die Gelderpressungen in den Gebühren und Kosten welche für die Facultäten und Dispensationen, wie für die Confirmation der Bischöfe und Prälaten bei ihrem Amtsantritte unter mancherlei Benennungen gezahlt werden mussten und von einer andern Oberbehörde auch nicht geschenkt worden sein würden. Ob die kirchliche Einheit, deren Nothwendigkeit Febronius selbst anerkannte, in der von ihm bezeichneten Form des Primats aufrecht zu erhalten sein würde; ob die Umstände zur Haltung einer Kirchenversammlung zu schreiten geböten und irgend welchen Erfolg einer solchen Massregel verhieszen; ob es überhaupt einer totalen Veränderung des Kirchenregiments bedürfte, nachdem die dermalige Gestalt desselben zuletzt in den Stürmen der Kirchentrennung sich erprobt hatte — dies waren Fragen, deren Beantwortung zu Gunsten des päpstlichen Stuhles einem Wortführer des letzteren nicht schwer werden konnte."

Num haec omnia iuste ac sine partium studio ab auctore, cuius verba hic laudavimus, exposita sint, omnino dubitare licet.

C A P U T III.

DE HUIUS LIBRI FATIS, QUORUM CONSORS FUIT AUCTOR.

Vir Clarissimus Schlosser in opere suo celeberrimo ¹⁾ quo antecedentis seculi Historiam tractavit, de nostro libro ait: „liber ille tam saepe editus, tam saepe impugnatus est et defensus, ut historia eius scribi posset.” Hoc facere conabimur, pro parte saltem, in hacce paragrapho. *Primum* agemus de variis editionibus; *dein* de Febronii oppugnatoribus, et quidem *a* quod pertinet ad varios adversarios, *b*. quod spectat ad Curiam Romanam; *Tertio* quidem postremoque loco videbimus de auctoris, quae dicitur, *retractatione*.

Quo magno cum fructu ac emolumento uti nobis licuit, est liber viri aequalis Febronii, Christiani Guilielmi Francisci Walchii, qui in Historia sua religionis recentissima, ²⁾ quum multa alia memoratu dignissima exposuit tum etiam de nostra materia. Vir ille Clarissimus, Theol. Dr. et Professor Gottingensis, variis

1) *Gesch. der 18^e en der 19^e eeuw etc.* Tom. III. pag. 160.

2) *Neueste Religionsgeschichte*, 1771—1783.

operis sui locis, 1) quod novem constat voluminibus, de Febronio egit; et quod certe aliquid est, Honthemius ei notus et quodammodo amicus et familiaris erat, quamquam diversas partes ambo sequebantur; ille Evangelicam religionem professus, hic vero Catholicam. Sed quod maxime nobis est momenti, multa acta, epistolae, allocutiones etc.: illius temporis nobis in Walchii opere relicta sunt, unde multa peti possunt, quemadmodum in posterum videbimus.

De singulis igitur, quae indicavimus, videamus, quamquam, ne copiosi simus, non omnia exponenda nobis erunt.

Walchius 2) Febronii librum multis aliis de eadem re agentibus anteponendum esse censet, et quidem tres ob causas. Primum: pars illius libri edita est eo tempore, quo nondum lites exarserant de finibus auctoritatis papalis aulas Borbonicas inter et Curiam Romanam; eo minus igitur Febronius sperare potuit, fore ut multi secum facerent suasque partes sequerentur 3). Jam supra de hoc Walchii iudicio nostram sententiam enuntiavimus, videamus

1) Et quidem sequentibus:

Tom. I. pag. 145—199.

VI. pag. 175—209.

VII. pag. 193—241.

pag. 453—465.

VIII. pag. 529—542.

2) Cf. I. pag. 145—199.

3) Addit WALCHIUS pag. 148. nomen receptum falsumque Febronii nil detractare laudi vero auctori tributae, quia illud valebat modo populi multitudini, nihil vero aliis, vel principibus, vel Episcopis, minimum Romanae Curiae, quae, si vellet, verum auctorem omnino mox cognosceret.

igitur de altera ab eo allata caussa. Scriptor aggressus est monarchiam illam potentem in *Germania*, ubi omnino querelae audiebantur de ea, sed neuntquam animadversiones doctae factae sunt contra systema ipsum unde oriebatur illa injuria. Semper enim metus in hac regione apud Catholicos praevaluit, ne tali modo religioni ipsi nocerent et Protestantium caussae faverent; ac sane, e nostro quoque judicio, hujus libri editio in *Germania* pluris facienda est, quam si in *Gallia* apparuisset. Tertia causa, quam affert *Walchius*, haec est: aperte *Febronii* liber oppugnatus est a Curia ipsa, quae eum opprimere omnibus viribus conata est, quia fructus sibi pestiferos inde susceptura videbatur. Et quidem quae exponit nituntur historico fundamento talibusque rationibus, quae si ex eo per se derivantur, systema illud papale offendere possint. Sine ullo dubio certamen ipsum, quod hic liber, qui alteri Ecclesiae parti gratissimus, alteri vero ingrattissimus fuit, excitavit, satis indicat, haud parvi momenti esse, quae illo continentur, atque eatenus pretium auget huic operi statuendum.

Quae *Walchius* hic exponere voluit, nova quidem forma, nobis vero non minoris momenti, legimus in opere ejus l. l.; scilicet commemorationem invenimus *Febronii* ipsius de scripto, quod ediderat, quam *Walchius* ab eo petierat. 1) Simul ab auctore concessum fuit,

1) *WALCHIUS*, pag. 150. non memorat verum nomen *Febronii*, modo eum indicat verbis: „der würdige Greis.“ Dicit tamen, sibi licere eorum rejicere sententias, qui jam exposuerant varias suspensiones suas, variaque nomina indicaverant. Commemorat quid acciderit magna quadam in urbe, in qua *Italus* quidam, nomine *MORELLI*, se cognatum

quod ea quae scripto mandaverat, in Walchii opus reciperentur. Ex Febronii igitur sententia constat, in Ecclesia Catholica fidem doctrinamque easdem esse quas Christus et Apostoli instituerunt; disciplinam contra valde esse mutatam, cui multa ansam dederint, praesertim litterae Isidorianae. Quae si sedi Romanae multum profuerint ad externam gloriam, disciplina Ecclesiae ab iis non nisi fructus malos accepit. Mediis seculis gravissimae ortae sunt querelae, postea in dies auctae contra regnum papale. Concilia et Concordata habita et inita sunt, ut damnum tolleretur. Fundamento tamen auctoritatis papalis intacto manente, omnia inde orta simul intacta manebant. Quae vero incitarunt virum honestum et rerum ecclesiasticarum peritum, ut assumpto nomine Justini Febronii non solum mali originem indicaret, sed etiam ostenderet, quibus remediis damno illi subveniri posset.

I. *Variae Editiones ac Versiones Febronii Libri.*

Primum oculos vertamus ad *Editiones*, tunc ad *Versiones* hujus libri:

Febronii dixerat, et tali modo auxilium petierat et acceperat a principe externo. Idem vero narravit, Febronium non ortum esse Germania, opus ibi non scriptum; quae tamen, ex iis quae a Febronio ipso exponuntur, omni dubio procul remota sunt. — Affert WALCHIUS etiam „*die Danziger Theologische Berichte von neuen Büchern und Schriften*. B. VII. pag. 325.” quo alius vir celeberrimus indicatur, quem nonnulli Febronium putant, quod vero Walchius falsum esse dicit. — Demum Tomo VII^o. pag. 196. JOHANNEM NICOLAÛM AB HONTHEIM dicit auctorem.

a. *Editiones.*

Jam vidimus Febronii librum primum in lucem prodisse anno 1763^o et quidem non Bullioni, ut in titulo expressum fuit, sed revera Francofurti (ad Moen.) Quum vero opus a plurimis legeretur, mox secunda editio anno 1765^o prodit, item specie quidem Bullioni, revera in eadem urbe Francofurto. 1) Plenus titulus idem est atque in editione prima scil. „Justini Febronii Jcti de Statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reuniendos dissidentes in religione Christianos compositus. Bullioni apud Guilielmum Evrardi;” addita tamen formula: „editio altera priore emendatior et multo auctior.” Quod attinet ad primam editionem illam anni 1763ⁱ, habebat illa indicem chronologicum, postea omissum, factorum ex historia ecclesiastica petitorum, de quibus in Febronii libro agitur, et de quibus sententiam suam hic pronuntiat. Mox nuntiatum et judicatum est liber ille in Diariis. 2) De secunda editione anni 1765ⁱ, quae est „priore emendatior et multo auctior,” animadvertendum est, eam esse pleniorum ob nonnulla scripta, quae Febronii librum defendunt contra nonnullos ejus adversarios.

Ut ab Hontheim ipse scripsit, in expositione a Walchio servata hi adversarii fuerunt: 1.) quidam, qui nomen assumserat Justiniani Frobenii, 2.) P. Josephus Kleiner

1) Tom. I. pag. 156. ex ipsius Febronii narratione. — Hac alterâ editione usi sumus.

2) Prior ceteris et latior expositio invenitur in opere, cui titulus: *Göttingische Gelehrte Anzeigen* anni 1763i. pag. 937.

Jesuita et Professor Theologiae in universitate Heidelbergensi. 3.) Mag. Carolus Fried. Bahrdt, Lipsiensis. Scripta sua defensoria contra illorum opera, auctor curavit typis mandata jungi alteri editioni, quod praecipue factum est Turici in Helvetia. Sic ipse scripsit opera tria contra illos adversarios, attamen nominibus sumtis, contra primum: Justiniani Novi; contra alterum: Joannis Clerici Palatini; contra tertium: Auli Jordani J.Cti. Quae prodiit eorum editio titulum habebat: „Vindiciae Febronianae, seu refutationes nonnullorum opusculorum, quae adversus Justini Febronii J.Cti tractatum, nuper prodierunt;” sed non constat ubinam typis mandata sit anno 1765^o, Turicine an Francofurti. Haec tamen non solae sunt mutationes in nova editione, per totum enim librum occurrunt; tot addidit, ut cresceret opus a numero 621 paginarum ad 816. Eorum in quibus editiones differebant accuratam dedit enumerationem Diarium Gottingense quoddam. ¹⁾

Sed de ipsa sua ratione nihil mutavit, hanc modo confirmavit, argumenta sua clarius exposuit, allatis exemplis ex Historia ecclesiastica veteris et recentioris temporis.

Tertia editio apparuit Francofurti anno 1770^o simul fere cum Tomo Secundo. Eundem habet titulum, hac tantum mutatione facta, ut in eo inscriptum sit: „Tomus secundus, posteriores operis vindicias continens” denique non „Bullioni, sed „Francofurti et Lipsiae.” In priori tamen urbe revera tomus ille typis est mandatus. Ut Fe-

1) Titulo: „*Der Göttingische Recensent*,” anni 1765i. S. 521. Certo quidem hoc argumento est, quantopere liber Febronii illo tempore in virorum doctorum aestimatione valuerit.

bronius ipse narrat (p. 163.) modo continet nonnulla scripta, quibus opus Febronii defenditur; secundus autem ille tomus, ut primus, vixdum editus etiam Venetiis prodiiit. Quamquam variis utitur nominibus, auctor libri qui anno 1763^o sub cognito nobis titulo apparuit, confitetur eundem se esse qui et ea scripsit, quae tomo illo secundo continentur. Praeterea animadvertendum, in eo occurrere longam praefationem, in qua editor quidam anonymus, diversus a Febronio, loquitur: idem occurrit tribus in sequentibus partibus. ¹⁾ Nominis „Johannis a Calore Jcti” Febronius Apologiam scripsit in sequenti parte tomi ejusdem adversus quatuor Theologos. ²⁾ Nominis vero „Theodori a Palude” scripsit defensionem sub titulo „Florium sparsorum adversus Franciscum Antonium Zaccaria S. J. quondam ³⁾ Ser^{mi} Ducis Mutinensis Bibliothecarium.” Terminavit tomum huncce secundum, praeter nonnulla Addenda, edita „Epistola de subtractione obedientiae Romano Pontifici debitae,” nomine Justini Febronii Jcti servato. ⁴⁾

1) Scilicet: 1^o. „Universitatis Coloniensis de Libris Justini Febronii Judicium Academicum, notis et observationibus criticis examinatum, emendatum et reformatum. 2^o. Responsum ad Epistolam, quam quidam sub *Ladislai* nomine in Febronium conceptam evulgavit. 3^o. Notae criticae breves in ea, quae Ingolstadiensis Professor P. FRANC. XAV. ZECH. S. J. adversus pacificum Febronii Systema nuper edidit.”

2) GODEFRIDUM KAUFFMANS, Professorem Coloniensem; GREGORIUM TRAUTWEIN, Abbatem Suevum; N. SANGALLO, Minoritam Venetum; et LADISLAUM SAPPEL Recollectum Provinciae Allemanniae.

3) Quia, quum Pater ZACCARIA librum suum typis mandare vellet, regnum Mutinense hoc eum perficere vetuit, dicens tempora valde esse mutata. Quam vero nihilominus propositum suum perfecisset, munere suo privatus est.

4) Quid legatur in Epistola illa in Diario nomine: *Göttingsche ge-*

Nonnullis additis Febronii ipsius narrationi, — ex illa etiam cognoscimus tres editiones tomi primi in Germania, et quidem annorum 1763ⁱ, 1765ⁱ et 1770ⁱ, quibus addenda quae Venetiis prodit, — Walchius confitetur suam notionem diversarum editionum manuscripti Latini sibi ipsi videri imperfectam. Ballerini tamen in opusculo suo contra Febronium anni 1768ⁱ, de quo mox videbimus, memorat et affert editionem, quam dicit *quintam*, unde sequitur duas editiones adhuc nos latere.

Tomus Tertius „ulterioris operis vindicias continens” (Francofurti et Lipsiae) anno prodit 1772^o.¹⁾ Non continens praefationem generalem, exhibet 1^o. „Bonam causam Justini Febronii adversus Epistolas Italicas R. P. Viatoris a Cocaleo anno 1768^o ex agro Brixiensi exartatas et alios scriptores defensa per Danielem Bertonum.” Quamquam praesertim agit de animadversionibus Coccaegliae, tamen simul respondens alteri adversario, nomine Kaufmans, de quo etiam videndum nobis erit, non repetit ea quae jam exposuerat, breviter vero indicat quo loco de iis egerit, novis additis observationibus, quibus omnino suae causae plurimum profuit. 2^o. „Examen li-

lehre Anzeigen anni 1770ⁱ, expositum est. — In capite illius Epistolae, Pauli Apostoli verba occurrunt, quae leguntur in Epistola II^a ad Thessal. cap. III^o. S. 6. sc.: „Denunciamus, autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis.”

1) WALCHIUS, Tom. V^o. pag. 193. declarat se non intelligere, quare auctor „*recensionis Freyburgensis*” abjudeet illa scripta a Febronio, nam ut dixit ipse, etiam duos priores tomos, quamquam sub aliis nominibus, ipse confecit.

belli anno 1770° editi,"¹⁾ „in qua parte Febronius rejicit accensationem, quod falsa quasi historica attulisset." 3°. „Animadversiones Febronianas in P. Antonii Schmidt S. J. in universitate Heidelbergensi S. S. Canonum Professoris Publ. Ord. Institutiones Juris Ecclesiastici Germaniac adcommodatas." Indicat Febronius, quibus fontibus Romano-catholicus doctor genuini germanici juris-ecclesiastici fundamenta extruere debeat, et rejicit opinionem, Concilium Tridentinum in eo multos abusus abrogasse. 4°. „Justini Febronii responsiones ad postulata Christ. Wilh. Francisci Walch Theologiae Doctoris et Professoris Primarii in Universitate Gottingensi." 2) Etiam Tomus ille Tertius indicabatur

1) Titulo: „Jugement d'un écrivain Protestant touchant le livre de Justinus Febronius."

2) Febronii rationem quam in libro suo exposuerat, WALCHIUS in „*Nachricht von dem unter dem Namen Justini Febronii herausgekommenen Buch , und den darüber entstandenen Bewegungen*" etc. (Tom. I. p. 147. seqq.) nonnullis verbis indicaverat, et judicium suum protulerat de iis, quae sibi minus perspicua probandaque videbantur; inprimis quae spectabant ad conjungendos iterum Protestantes cum Ecclesia Catholica, quod non censebat unquam fieri posse eo modo quo Febronius statuerat. (Illud judicium legitur eodem Tomo I°. pag. 170—189.) Attamen scripsit Tomo VI°. pag. 192. „Mein Zweck war nicht, mich in die reihe der Antifebronier zu stellen, eine Gesellschaft, die ich zu verbitten grosze Ursache habe," quum itaque non pertineat ad adversarios proprie dictos, hoc jam loco exponi posset, quae Febronius contra ejus animadversiones attulerit; unam tamen brevitatis causa ex illius responsionibus afferemus, cui a Walchio etiam nonnulla adduntur. — In „*Responsionibus sc.: in Universitate Gottingensi*" pag. 315. hujus tomi tertii, scripsit HONTHENIUS: „Aliquod huic malo remedium Protestantes adferri posse putarunt (sc. ad servandam fidem) cogendo suos, ut Synodorum definitionibus se submitterent. Verumtamen nihil magis repugnat „Protestantium principiis, quam hujusmodi remedium; etenim juxta

et iudicabatur honorifice quidem, nonnullis in Diariis. ¹⁾ Tomus Quartus bipartitus est; altera pars prodit anno 1773^o altera anno 1774^o, Francofurti et Lipsiae. Utraque continet „defensionem Justini Febronii J.Cti adversus Francisci Antonii Zaccaria, S. J. Antifebronium Vindicatum.” Prior opposita est duobus primis, altera sequentibus tomis Zaccariae, in quibus pedetentim sequitur ordinem

„eorum sententiam, quaecunque Synodus, etiam ex omnibus mundi „partibus collecta, errori obnoxia est, potestque subinde simplex aliquis et rudis homo verum Scripturae sensum attingere, quem Synodus non percepit: hinc apud eos unusquisque gaudet potestate Synodorum definitiones examinandi; eodem jure, eademque ratione, quibus „primi eorum Reformatores, definita jam et a tota Ecclesia recepta „dogmata ad incudem revocarunt, imo et rejecerunt. Unde sequitur „Synodorum congregationes et decisiones in illorum Communione inutile „prorsus remedium esse ad continendos in officio populos, unitatemque „Religionis servandam” etc. — His respondet WALCHIUS, pag. 195: Febronium non recte intellexisse quid censeant Protestantes de suis Synodis et in universum de praeceptis humanis. Apud eos quidem nulli jus est dicendi: „haec est veritas, haec non”, neque petendi ab alio, credere quia dicit vel Ecclesia, vel Synodus, vel auctor librorum symbolicorum. Tantummodo habet Ecclesia idem jus, quod collegium quoddam, quo ad finem sibi propositum perveniat, dicendi nimirum: hoc verum nos habemus, hoc non; deinde non salutem, sed communionem externam huic adjungendi, imprimis praedicatoris munus; quod membra hoc confiteantur, ministri vero hoc illudve nuntient, quod verum esse putet Ecclesia, rejiciant vero, quod erratum esse eadem censcat. Nemo hac in re cogi debet. Addit WALCHIUS sic oriri discrimen inter orthodoxiam externam et internam, Romanae Ecclesiae incognitam. Ipse tamen scripsit: „Da diese Erzählung keine Polemische absicht hat, und keine Polemische Untersuchungen verstat- „tet, so enthalte ich mich hier billig, aller weitern widerspruchen.” Nos quoque exemplum illud sequemur.

1) In opere cui titulus: *Göttlingische Gelehrte Anzeigen*, anni 1772ⁱ, pag. 1019. et in: *die allgemeine Deutsche Bibliothek*. T. XXI. S. 478.

animadversionesque ab eo positas. Walchius hunc tomum quartum dicit amplissimum optimeque omnium ordinatum, in quo non solum novas addidit expositiones, sed etiam indicavit, quae alii contra se attulerint.¹⁾ Addit autem Walchius, se audivisse non eam partem, ut ceteram, Romae in indice librorum prohibitorum collocatam esse. Idem auctor tom. VII^o operis sui (p. 197.) ultimo loco commemorat editionem abbreviatam Febroniani libri. Honthemius scilicet jure censebat librum suum nimis amplum esse plerisque lectoribus. Itaque prodiit Coloniae et Francofurti anno 1777^o editio hoc nomine: „Justinus Febronius abbreviatus et emendatus, id est, de Statu Ecclesiae tractatus, ex Scriptura Sacra, traditione et melioris notae catholicis scriptoribus, ab auctore ipso in hoc compendium redactus.”

b. Versiones.

Post tres primas commemoratas editiones, etiam, prodierunt versiones Germanicae, Francicae et Italicae.²⁾ Germanica versio typis mandata est anno 1764^o.³⁾ Duae

1) Praesertim judicium honorificum de ea Febronii operis parte, legitur in: „Anhang zu den XIII. bis XXIV. Bänden der *allgemeinen Deutschen Bibliothek*.” pag. 169.

2) Uti Febronius ipse narrat. Tom. I. p. 157.

3) Prodiit hoc titulo: „Justini Febronii Jcti *Buch von dem Zustande der Kirche und der rechtmässigen Gewalt des Römischen Pabsts, die in der Religion widrig gesinnten Christen zu vereinigen; aus dem Lateinischen in einem getreuen Auszuge übersetzt.*” — In titulo indicatus est locus quo prodierit *Wardingen* sed fuit *Francofurti ad Men.* Cf. SCHRÖCKH. VI. S. 546.

WALCHIUS, Tom. I^o pag. 165. judicium indicavit, quod de hac versione tulit *Die allgemeine Deutsche Bibliothek*. B. II. St. I. S. 176.

prodierunt Francicae, prima anno 1766° duos in tomos divisa est. ¹⁾ Illa versio aliquomodo abbreviata est, et qui vertendi opus suscepit nonnulla de suo addidit. Anno subsequente prodit altera versio Francica tres in tomos divisa. ²⁾ Similis est secundae editioni anni 1765ⁱ, typis mandata videtur Parisiis.

Non graves animorum motus illae versiones excitarunt, majores quidem Italica versio. Editor Venetus nuntiabat publice quid sibi proposuisset, cupiens pecuniarum subsidium. Aula Romana conata est impedire ne prodiret illa editio, gravissimas poenas (triremium remigium incolis Civitatis Papalis) statuens in eos, qui aliquid auxilii praestarent. ³⁾ Senatus tamen Venetus omnibus modis auxiliatus est editori, et edita est illa versio anno 1767°. In Hispania primum nonnulla e Fe-

sqg. Ibi dicitur i. a. inter omnes regiones, ubi religio Romano-Catholica imperium tenet, Germaniam maxime idoneam esse ad suscipiendam et perficiendam reformationem, institutam juxta Febronii consilia.

Dicit WALCHIUS hoc esse problema politicum et revera non facile est statim hac de re judicare. — Etiam tomi secundi prodit Germanica versio abbreviata Francofurti et Lipsiae Octobr. a° 1770°.

1) In duodecimo sub titulo: „*De l'Etat de l'Eglise et de la puissance légitime du Pontife Romain, a Wurzburg, chez JEAN MULLER.*” Sed non in ea urbe, *Sedani* vero prodit.

2) Hoc indicet: „*Traité du Gouvernement de l'Eglise et de la puissance du Pape par rapport à ce Gouvernement. Traduit du Latin de Justin Febronius Jurisconsulte, par L. D. L. S. membre de l'académie de B. à Venise PIERRE REMUNDI 1767.* — Nonnulla ei addita sunt e scriptis Profess. Wurzburgensis BARTHELII *de Concordatis Germaniae.*

3) Ut patet ex ZACCARIA *Antifebronio vindicato*, parte I. pag. 25. seqq.: Cardinalis TORREGIANI Romae die 28. Nov. 1766. mandatum illud publicari curavit. Qui non obtemperarent, per decem annos illam remigii poenam subirent.

bronii libro dissertationum forma prodierunt; postea vero magna copia versionum ex Italia eo translata est, tantumque valuit, ut administer quidam papalis testaretur, in eo regno quasi „Codicem Canonicum” habitum esse. In Lusitania *Antonius Pereira* anno 1766° scripsit tractatum doctum: „De potestate Episcoporum circa dispensationes in publicis impedimentis matrimonii et absoluteione a casibus Romano Pontifici reservatis” lingua sua vernacula, quod opus praelo exiit anno sequenti Venetiis lingua Italica, et anno 1769° in urbe Olisippo Latina. Huic libro auctor plures censuras approbationesque addendas curavit, inter quas „R^{mi} Patris Magistri Joan. Baptistae de S. Gaetano Procuratoris Generalis ordinis S. Benedicti, Doctoris Theologiae in Universitate Coninbricensi,” quae censura, e Febronii libro ducta, quasi compendium est totius hujus libri.

II. *De variis Febronii adversariis.* 1)

a. *De scriptis contra eum prolatis.*

Jam vidimus de tribus illis adversariis, quorum scriptis responsa sua opposuit Febronius in secunda editione tomi primi, anni 1765¹.) Quo plures cognoscamus, rursus utendum nobis erit iis, quae ipsum Febronium scripsisse nobis testis est Walchius. 2)

1) Si quaeritur de Febronii *defensoribus*, de hisce non seorsim agendum esse duximus, quoniam in hac ipsa Historia hic illic nomina huc pertinentia occurrunt; ex horum agmine imprimis commemorari meretur vir doctissimis HORAX, qui sibi nomen *Germani Pacifici* dedit.

2) Tome I, pag. 160^a sui operis.

Universitas Coloniensis die 15^o Sept. anni 1765ⁱ *Judicium* ita dictum *Academicum* contra Febronium protulit; ¹⁾ eodem anno scripsit Georgius Trautwein, „Praepositus et Abbas exempti Collegii S. Michaëlis ad insulas Wegenses, Ulmae,” librum in duos tomos divisum acerimeque conscriptum, nimirum: „Vindicias adversus Justinii Febronii de abusu et usurpatione summae Potestatis Pontificis librum singularem.” Anno 1766^o Minorita Venetus, nomine *Sangallo*, refutationem condidit, ²⁾ quae maxime Romae placuit. ³⁾ Eodem vero anno 1767^o duo

1) Anno 1765^o Amstelodami collectio scriptorum contra Febronium edi coepta est, hoc indice: „Opuscula critica contra Justinii Febronii Jcti librum singularem de legitima potestate R. P.” ZACCARIA operis sui pag. 9. referente, prima pars duo tantum scripta continet PETERI KLEINER. Non constat, num plura hisce addita sint. Cf. WALCH. VI. S. 186.

2) Titulo: „Dello stato della Chiesa e legittima potesta del Romano Pontefice dal modesimo sostenuta conforme l'antica Tradizione, libro apologetico dato alla luce de Giustino Febronio JC. per conservare nell' unione fedeli e desingannare gli eretici” 4^o Typis mandatum a Thoma Bettinelli. — Diarium: *Die Französisch-cölnische Zeitung* die 17^o Febr. anni 1767ⁱ de ea haec commemorat: „Sa Sainteté a écrite une lettre remplie de marques d'estime et d'affection au Père Sangallo Mineur Conventuel de Venise, sur la réfutation des ouvrages pernicieux de Justinus Febronius.”

3) Nomine sumto *Julii Antonii*. (WALCH. VI. S. 186.) Eodem loco narratur, allegato ZACCARIA teste (*Antifebronio*, pag. 13.), hunc librum Germanice versum esse titulo *Antifebronii*. Eodem tempore prodidit ejusdem auctoris majus opus: „*de Gestis summorum Pontificum*,” cujus pars IIIa tunc in eo erat ut typis mandaretur. In titulo operis: „Dello stato etc.” nomen suum non commemorat, modo scribens: „composto da un Franceseano min. conventuale.” Liber continens 471 paginas 4^o. non exhibet operis Febronii accuratam et ordinatam refutationem, sed tantum de nonnullis illius statutis *Judicium* effert.

alia opera prodierunt contra Febronianum, sc. 1^o „Liber singularis ad formandum genuinum conceptum de Statu Ecclesiae et Summi Pontificis potestate, contra Justinum Febronium etc. a V. P. F. Ladislao Sappel. Ord. S. Francisci Recoll. provinciae Allemanniae S. S. Theologiae Lectore emerito, Chronologo et Guardiano.” Alter liber titulum habebat: „Pro Statu Ecclesiae Catholicae et legitima potestate Romani Pontificis contra Justini Febronii Jcti librum ad reuniendos dissidentes in religione Christianos Apologeticum Theologicum, opera Joannis Godefridi Kauffmanns, Hulsensis, S. T. D. et nunc Facult. Theol. Colonien. Decani, Librorum Censoris ordinarii, Archiepiscopalis Curiae Sigilliferi majoris, Canonici S. Mariae,” quod opus dedicatum erat nuntio papali Coloniae, nomine Caesaris Alberico Lucini. ¹⁾ Maximus autem liber qui contra Febronium editus est, typis mandatus Pessari in Italia, et duos in tomos divisus ²⁾, a Zaccaria conscriptus est. ³⁾ In Praefatione ad Papam, auctor dicit institutionem suam, Jesuitarum officio Curiae Romanae sacram, ipsum movisse ut laborem huncce

1) Nova editio prodit anno 1770^o, in qua etiam inveniuntur litterae a Papa gratias agendi causa ad eum scriptae, atque defensio contra Febronii responsionem, quae invenitur in Tomo II^o illius operis.

2) Titulo: „Anti-Febronio di Francescantonio ZACCARIA della Compagnia di Gesu, Bibliotecario di S. A. S. il signor Duca di Modena, ossia Apologia Polemico-Storica del Primato del Papa, consecrata alla Santita di N. S. Papa Clemente XIII. contro la damnata opera di Giustino Febronio.”

3) Ipse ZACCARIA scripsit: „*Historiam operis Febroniani variisque ejus facta,*” quae, quamquam non sine partium studio, omnia ea usque ad annum 1771^{um} exhibet. Narratio illa invenitur in initio operis „*Anti-febronio vindicato,*” ab eodem auctore conscripti.

susciperet ¹⁾, itaque petit a Papa, ut iudicaret librum fructum esse diligentiae et amoris societatis totius Jesuitarum erga sedem Romanam. Quid ei venerit a magistratu Mutinensi jam antea indicavimus. Minora quoque scripta prodierunt contra Febronium quae nunc mittimus, quum minoris etiam pretii sint habenda, et in opere Febronii ipso afferantur. Hisce tamen nonnulla sunt addenda.

Walchius animadvertit ²⁾, adversarios eos a religione duas in partes dividi posse, sunt enim vel Protestantes, vel Romano-Catholici. Quod ad priores attinet, quamquam peculiariter non egit Febronius de eorum causa, tamen ob duplicem causam iis non gratus fuit. Primum enim, quamquam differat multis in rebus a doctrina Ecclesiae Catholicae, tuetur tamen principia magni momenti, quae prorsus differunt a Protestantium doctrina. Intactam relinquit scilicet prorsus fidem christianam, religionis officia, quae omnia immota manerent, si Febronii ratio in Ecclesia valuisset. Defendit traditionem, qua scilicet S. Scripturam explicanda esset, et ejusmodi plura. Secundo loco non putant illi, reconciliationem unquam fieri posse eo, quo Febronius proposuit, modo, sublato licet lapide illo angulari dissensionis, monarchia scilicet infinita papali, etiam plura revera adforent impedimenta. ³⁾ Resta-

1) Jam vidimus, quae decreta eodem illo anno exstiterint contra illum ordinem ab aulis Hispaniae, et Siciliarum. Itaque hic liber, Papae blauidiens, conabatur ordinis vacillantis statum firmare, ut Papae persuasum esset de fructibus, quos Curia ab eo susceperet.

2) Tom. I^o. pag. 189.

3) Idem statuit vir sagacissimus WILH. BROES, in opere „*de Kerk en de Staat...*” etc. tom. 3^o. pag. 158. MENZEL, l. l. VI. pag. 31. scribit:

ret enim ipsa monarchia et quidem cum aristocratia conjuncta; auctoritate quippe papali limitibus circumscripta, Episcoporum, Archiepiscoporum cetera: auctoritas cresceret, quam nolunt Protestantes, simul, in favorem libertatis credendi, Conciliorum Generalium edicta et Episcoporum jura divina rejicientes. Pauci tamen Protestantes scriptis suis Febronium refutarunt, quum judicarent, illius rationem tunc primum Ecclesiae Evangelicae institutioni noxiam esse futuram, quum ab Ecclesia Romana ipsa adoptata et in usum adhibita esset; de qua sententia Febronius ipse dixit: „non potest non ad commendationem operae Febronianae apud Catholicos pertinere.”¹⁾

Tres modo Protestantes contra Febronii librum stilum moverunt. Primus erat Carolus Friedrichus Bahrdt, qui, anno 1763^o edidit scriptum academicum, cui titulus erat: „Dissertatio de eo an fieri possit, ut sublato Pontificis imperio, reconcilientur in religione dissidentes Christiani.” Etiam pater illius Johannes Friedrichus Bahrdt Lipsiensis, et Carolus Gottlob Hofmann Vitebergensis

„Da überdies damals von einer Wiedervereinigung der Kirchenparteien keine Rede mehr war, nachdem beide Parteien von den Unausführbarkeit aller dahin abzielenden Entwürfe sich überzeugt hatten, so machte es Febronius den Vertheidigern der Hierarchie wahrlich sehr leicht, den unpraktischen Sinn eines Reformators, der die Kirchenverfassung, auf eine ganz ungewisse Voraussetzung hin, von Grund aus umstürzen wollte, aller Welt vor Augen zu stellen.” — Neque tamen hoc impedit, quominus vera sint et maneant quae dixerit Febronius, multis de rebus, quarum causa Ecclesiae regimen esset mutandum; quarum veritatem negare isto modo omnino facile esset! Nam, *der unpraktischer Sinn*, non obstat *factis*. — Cf. etiam SCHRÖCKH, l. l. S. 545.

1, Tomo III^o. pag. 316. in Respons. in „Universitate Gottingensi.”

sis in opusculis editis reconciliandi rationem Febronianam refutarunt. ¹⁾

Quod attinet ad Romano-Catholicos adversarios, ignotum est, quisnam anno 1764^o quasi Bullioni scripserit: „Epistolam ad clariss. Virum Justinum Febronium Jctum „de legitima potestate summi Pontificis,” induto sibi nomine Justiniani Frobenii.

Theologiae Professor Heidelbergensis, Jesuita Josephus Kleiner proprie egit de Febronii consilio reconciliationis. Anno 1764^o publicavit disputationem inauguralem hoc titulo: „Unio dissidentium in religione Christianorum dissertationibus inauguralibus pertractata, facta antithesi parallela ad Justini Febronii Jcti librum, pro uniendo compositum.”

Universitas Coloniensis hocce edidit opus: ²⁾ „Universitatis Coloniensis de proscriptis a S. S. D. N. Clemente divina providentia Papa XIII^o Actis pseudosynodi Ultrajectinae anno 1765. d. 30. Aprilis et libris „Justini Febronii Juris Consulti anno 1764^o die 27^o „Februarii judicium Academicum.”

Adversarius, quem Febronius in narratione sua non commemoravit, qui ei ignotus fuisse videtur, est doctissimus, multis scriptis celeberrimus, presbyter Veronensis, nomine Petri Ballerini, qui jam anno 1766^o edidit librum: ¹⁾ „de vi ac ratione Primatus Romanorum Pontificum et de ipsorum infallibilitate in definiendis con-

1) De his plura leguntur in: *den Danziger theologische Berichte von neuen Buchern und Schriften*. B. VII. S. 153 et 304. — Et in *Actis histor.-eccl. nostri temporis*. V. p. 880 et 890.

2) Sola nobiliorum et doctiorum hominum Societas fuit, quae participem se praebuit harum disquisitionum.

„troversis fidei liber singularis, in quo utrumque de-
 „ducitur et constituitur ex principiis concessis ab iis
 „ipsis adversariis, contra quos disputatio futura est.”
 (Veronae 4^o.) In eo libro Febronius ne verbo quidem com-
 memoratur, sed ii qui a scriptore refutantur, defensores
 sunt Gallicanae Ecclesiae libertatum, inprimis Bossuetius. 1)
 Quod vero omnem tollit dubitationem, eum revera Fe-
 bronium in mente atque ante oculos habuisse, hoc est
 idem auctor anno 1768^o Veronae vulgo misit alium librum
 hoc indice: „De potestate ecclesiastica Summorum Ponti-
 „ficum et Conciliorum Generalium liber, una cum vindi-
 „catis auctoritatis Pontificiae contra opus Justini Febronii,
 „auctore Petro Ballerinio, presbytero Veronensi. Accedit
 „appendix de infallibilitate eorundem Pontificum in defini-
 „tionibus fidei.” E praefatione patet priorem etiam librum
 jam conscriptum fuisse ratione habita libri Febroniani.
 E Ballerini sententia, Febronio non responderi poterat,
 priusquam ejus principiis „falsis” vera opposita essent.
 Principia haec censet duas in classes esse dividenda;
 quum primum stabilienda sit natura et indoles Primatus
 papalis, eaque quae inde sequuntur, summa auctoritas,
 nullis finibus circumscripta, et infallibilitas ad quaestio-
 nes fidei definiendas. Postea vero exponendum erit quo-
 modo cohaereat potestas Papae cum auctoritate Conci-

1) Recte, ut videtur, WALCHIUS. l. l. Tom. I. p. 196. animadvertit,
 suspicionem revera non ineptam esse, librum hunc non scriptum esse
 contra BOSSUETUM, cujus liber jam ante quadraginta annos prodierat,
 cujus aggrediendi nulla causa exstabat, sed contra Febronium, cujus
 scriptum etiam in Italia typis mandatum, ibi lubenter receptum erat.
 Quamvis vero in multis duo illi libri convenient, tantum tamen discrimen
 etiam adest, ut alterum ab altero magnopere differat.

liorum Generalium, unde pendent quaestiones de juri-
bus Episcoporum. Hoc vero alias partes sequentes non
concedent, quum illi Episcopis, non modo in synodis
congregatis, verum etiam extra eas, immediata jura di-
vina tribuant. ¹⁾ De prima classe igitur Ballerini agit
in primo, de altera in altero libro; in quo primum a
pag. 147^a ad 290^{am} sequuntur defensiones suorum fun-
damentorum contra Febronium.

De Zaccaria Anti-Febronio, quem jam supra commemo-
ravimus, auctor ipse nonnulla cum lectoribus communica-
vit. ²⁾ Librum illum, Italica lingua scriptum, nonnulli in
Bavaria et Austria Latine vertere in animo habebant, et
quidem vir illustrissimus von Bandel germanicam pro-
miserat versionem. Propositum vero illud hi reliquerunt,
quum audivissent Zaccariam ipsum, jussu Papae Cle-
mentis XIIIⁱ, consilium cepisse latinam editionem cu-
randi. Nil tamen evenit; ipsius vero auctoris verba sic
se habent: „ubi vero me *tanti Pontificis obitu* pertur-
„batur, alio cogitationes studiaque convertisse intel-
„lexerunt, eam statim translationem adgressuros fuisse,
„*nisi obstitissem ego* atque illos ut tantisper expectarent,
„monuissem, dum scilicet novam eamque multo cor-
„rectiorem locupletiolemque Italici operis editionem nan-
„ciscerentur.” ³⁾ Quam tamen nunquam nacti sunt.

1) WALCHIUS l. l. I. pag. 197. animadvertit: facile intelligi, quam
astutia usus sit Ballerini, ut aciem mutaret. Nam quamvis aequum
esset, eum refutare Febronii principia — quod tamen, quoniam hoc
censebat periculosum et irritum, non fecit, — ordinem potius habuit in
disputando convertere etc.

2) In Tomi IVi. Praef. pag. 7.

3) Hoc loco strictim memorandi sunt duo scriptores, quibus non

Prodiit dein liber hoc titulo: „Italus ad Febronium
 „Jctum clarissimum de Statu Ecclesiae, pro supplemento
 „ad tentamina Theologica, Bergami edita anno 1768°;”
 Luccae 4° in lucem prodita. Latine dicitur P. Viator
 a Cocelco, Capucinus et Provincialis sui ordinis Bresciae;
 Walchius ¹⁾ putat nomen ejus fuisse *Viator da Coccaglia*.
 Quidquid hujus rei est, liber ejus continet viginti episto-
 las. Quamquam Curiae Romanae toto animo addictus
 defensorque Monarchiae Papalis nullis limitibus circum-
 scriptae, nullaque nova argumenta afferens, inter Febronii
 adversarios optimos est censendus. Cum modestia et
 moderatione illius sententias refutare studet, et vero
 declarat multa Romae fieri non in religione, sed in
 politico posita fundamento.

Anno 1770° ²⁾ et rursus 1771° in vulgus editus est
 libellus Franco-gallica lingua conscriptus, ejus scriptor, ³⁾
 [quamquam se Protestantem et defensorem viri doctis-

respondit Febronius. Primus est CORSI quidam, monachus ordinis Prae-
 dicatorum, et primus Theologiae Profess. in Collegio S. Marci Floren-
 tiae, qui edidit anno 1765° „De legitima potestate et spirituali Mo-
 narchia Romani Pontificis adversus Justinum Febronium Jctum theolo-
 gico-dogmaticas theses;” italice versas Venetiis Oct. anni 1767. —
 Alter vero Jurisconsultus quidam est Ferrariensis nomine CONSTANTINI,
 qui eodem anno edidit libellum contra Febronium.

1) WALCHIUS. T. VI. p. 189.

2) Cui est titulus: „Jugement d'un Ecrivain Protestant touchant le
 livre de Justinus Febronius;” exiit mox versio Germanica hac inscrip-
 tione: „Urtheil eines Protestantischen Schriftstellers über das Buch
 des Justinus Febronii, aus der französischen Leipziger Ausgabe vom
 Jahre 1771, zum Zeitvertreibe des Frauenzimmers ins Deutsche über-
 setzt, an den Ufern des Rheinstroms.”

3) De hoc WALCHIUS. T. VI. p. 190. dicit: „Der zweyte (Gegner) ge-
 nieszet wirklich dadurch zu viel Ehre, dasz Febronius ihm geantwortet.”

simi Bahrdrtii dicit] haud obscure tamen se prodit Jesuitam. Agit de conciliatione Protestantium cum Catholicis; ita vero ut satis luculenter inde appareat, cum prorsus ignorare indolem rationis religiosae, cui se addictum esse simulat. Accedit adeo, ut plane ignoret maleque proponat multa historiae ecclesiasticae acta.

Zaccaria anno 1771° et 1772° 1) novum edidit opus incriptum: „Antifebronius vindicatus, seu suprema Romani Pontificis potestas adversus Justinum Febronium ejusque vindicem, Theodorum a Palude, iterum adserta et confirmata” in quatuor tomos divisum, quorum tres Casenae anno 1771°, quartus a° 1772°, typis mandati sunt. Sperantes, fore ut nomen celeberrimum Zaccariae Germanos-Catholicos contra Febronium incitaret, anno 1772° Francofurti tomos priores rursus edendos curarunt Jesuitae. 2)

Inter ceteros adversarios omnino excellit Zaccaria, et doctrina, et vero audacia, cum ad defendenda sua principia omnibus rationibus, etiam minus honorificis, utatur. 3)

1) Nomine ENNODII FAENZAE prodit eodem anno 1772° „*Dissertatio critica de Romani Pontificis Primatu adversus Justinum Febronium.*” — E Febronii praefatione ad partem primam Tomi quarti cognoscimus, fuisse auctorem P. CAROLUM TRAVERSARI, qui Faenzae condiderit *academiam antifebronianam*; porro LADISLAI SAPPEL, tom. II. Augsb. a° 1771° 4°. etc. — Nonnullis tandem non respondit Febronius, quod certe mirum minime videtur; v. c. operi JOHANNIS CARRICHI, Jesuitae et Theol. Doctoris in universitate Coloniensi: „*De Ecclesia Romanae Pontificis et Episcoporum legitima potestate libri tres, contra perturbatores ecclesiasticae hierarchiae ac pacis, istorumque principem, Justinum Febronium,*” ut alia quaedam minoris etiam momenti missa faciamus

2) Luculenter hoc patet e Febronii Praef. in Tomo IV°. pag. 1. et ex iis quae allata sunt in *Biblioth. Friburgensi.* pag. 687.

3) De quibus plura exposuit *die Allgem. Deutsche Bibl.* B. XXIV. S. 41.

Pio VI^o Papa, suadente Cardinale delle Lanze, ¹⁾ qui parum aestimabat refutationes eo usque prolatas, Dominicanus Mamachi, vir satis doctus, aliam refutationem conficere conatus est. Anno 1776^o primus operis ejus prodiit tomus Romae typis mandatus, hoc titulo: „Epistolarum ad Justinum Febronium liber primus.” Injuste vero hic adversarium suum tractat, quum sibi proposuisse videatur omnes intendere vires, ut Romano-Catholici eum summo in odio habeant. Primum scilicet eum dicit auctorem: „Principiorum juris publici Ecclesiastici Catholicorum ad statum Germaniae adcommodatorum”, quamquam verus auctor Romae omnino notus erat. Deinde vero, quia Febronius locum quendam attulerat ²⁾ e libro Puffendorffii „De habitu religionis ad statum civilem”, inde concludit, eum omnia eadem statuere, quae hic docuerat. Tantopere vero omni carebat modestia scriptum illud, ut Vindobonae in illorum librorum numerum redigeretur, quos legere nemini liceret, nisi magistratu permittente.

Primo loco adhuc animadvertendum est, fere omnes illos Febronii adversarios vel monachos fuisse vel alicujus ordinis, plerosque societatis Jesu socios. Omnes fuere acerrimi defensores Curiae Romanae, quae in universum monachis carere non potest, qua vero etiam illi carere non possunt, quod ipse aperte declaravit Coccaglia. Recte de hisce statuisse videtur Walchius ³⁾, dicens non mirandum esse, aulam Romanam monachorum officia accepisse,

1) WALCH. I. I. S. VI. 208. VII. S. 196.

2) Tom. II. Edit. II. S. 156.

3) I. I. VI. S. 203.

praemiisque eos ornasse, sed omnium attentione dignum esse, monachos conatos esse defensionem suscipere infinitae auctoritatis papalis, eo tempore quo aulae Catholicae omnes intendebant vires, ut huic potestati sese opponerent. Quae vero in regnis illis jam accidissent Jesuitarum ordini, ante vidimus. Magna igitur illa industria, quam ad Febronii scriptum refutandum adhibebant, omnino orta videtur ex suae ipsorum conditionis cura. 1)

Secundo: Febronii adversarios fuisse vel *Italos* vel *Germanos*; nullorum vero aliorum populorum socii ad eorum numerum pertinent. Huic animadversioni Walchius aliam addit 2), aulas Catholicas, si velint, plus valere quam aula Romana monachorumque audacia.

b. *De Curiae Romanae Summique Pontificis conatibus ad reprimendum Febronii librum.*

Primum quod nactus erat exemplar Febroniani libri Nuntius Papalis qui Vindobonae erat, inde statim Romam misit. 3) Non solum ibi die 27^o Febr. a. 1764ⁱ damnatus est liber, 4) sed sequenti mense Clemens XIII.

1) Febronius in Parte 2^a Tomi IVi. p. 339. commemorat legi in *Novellis Publicis Coloniensibus* die 22 Febr. 1774ⁱ, eundem Zaccariam postea Romae edidisse scripta nonnulla ad defendendum Febronium; sic quidem tempora mutantur! Sublata enim societate Jesu, sociorum sententiae, etiam de Jure Ecclesiastico, aliam saltem induerunt formam.

2) VI. S. 205.

3) Cf. MENZEL, l. l. VI. S. 30.

4) Ut cognoscitur ex opere LE BRETS *Magazin*, T. III. S. 342. Die 3^o mensis Febr. 1766ⁱ altera editio tomi primi damnata est. — Sponte

scripsit ad omnes Archiepiscopos et Episcopos Romanos; quibus in litteris, verbis utens acerbissimis, jussit eos rejicere atque abhorrere librum istum „exitialem et pestiferum.”¹⁾ Porro „librum illum ad potestatem Romani „Pontificis extinguentem, ab homine Romanae Ecclesiae „infensissimo scriptum esse statuit.” Veretur „ne venenatis obscuri auctoris sensibus fidelis grex inficiatur, „et hausto inde Romanae Sedis contemptu, a dominico „agro ad haereticorum pestifera pascua denique abducatur.” Tandem „si quando innotescat, quis tam atrox „et audax adversus Romanam Sedem coortus talia „scripserit, ejus crit Episcopi, in cujus dioecesi versetur, „severe in illum animadvertere.”

Quid vero fecerunt Germaniae Episcopi, quorum jura Febronius tam strenue defenderat? Plerique fecerunt quod ab ipsis petitum erat; vetuerunt, ne liber legiretur.²⁾

intelligitur, librum *in Indice librorum prohibitorum* collocatum esse. Cf. etiam SCHRÖCKH, l. l. VI. S. 545.

1) In narratione, quam Febronius ipse exhibuit (WALCH. l. l. I. S. 152.), verba commemorat, quae Clemens scripsit ad quendam Archiepiscopum: „Romanam Cathedram, cui tamquam fundamento nititur Catholica Ecclesia, funditus conatur evertere.” Dein vero: „Nos hunc librum, quo „fidelibus et praesertim hominibus harum rerum parum intelligentibus maxima affertur offensio, nuper proscripsimus, tuamque vigilantiam, Venerabilis Frater, modo requirimus, ut non solum caveas, ne per manus fidelium circumferatur, sed ne in ullo quidem angulo, si fieri potest, totius tuae Dioecesis illi sit locus. Fraternitati tuae pro certo habemus perspectissimum esse, suffosso eversoque fundamento, quae est cathedra Petri, omnem Ecclesiam dirui oportere” etc.

2) FEBRONIUS, (WALCH. l. l. I. S. 154) dicit: „Jedoch die einen mit mehrerem, die anderen mit minderem Eifer. Dabei lieszen ihrer vielen den Inhalt des Buchs selbst in ihren Dioecesen nicht beurtheilen, sondern belieszen es lediglich bei der römischen Censur.” Eorum nu-

Nuntiis quoque in aulis degentibus, praesertim ei qui Vindobonae erat, mandatum est, omnes ut intenderent vires ad scriptum illud arcendum; huic vero se adiunxit Cardinalis et Archiepiscopus Migazzi ejusdem urbis, qui ambo hortabantur aulam Austriae, ut Curiae obsecundaret. Quod tamen efficere non potuerunt. Maria enim Theresia Imperatrix ter librum censendum curavit, semper vero ab aliis censoribus. Illi vero scriptum, cum a Catholica doctrina, tum a disciplina non improbandum censuerunt. Primis temporibus, bibliopolis in Austria permissum fuit Febronii librum vendere doctissimis viris; nonnullis conditionibus additis, mox vero omnibus haec venia data est. Jam vidimus, quid factum sit Vinctiis, quum versio Italica ederetur.

Nonne vero aula Romana conata est verum investigare auctorem? Degenti in Germania Nuntio Papali, postea Cardinalis munere functo, nomine Oddi, qui Imperatoris electioni anno 1763^o Francofurti adfuerat, istud man-

mero adscribendus est Episcopus Costniztzensis, qui nullam libri notitiam se habere scribit, nisi ex Breve papali; qui nescit utrum de opere an de *libello* sit loquendum, Febronii scriptum vetans, quia vetuit Papa. Alii ut Augsburgensis et Ratisbonensis Episcopus cum elcro suo Breve papale communicarunt. Wurzburgensis librum *contra canonicas Ecclesiae et pragmaticas Imperii constitutiones* esse dicit. Archiepiscopus Pragensis librum: „ne in ullo quidem angulo, totius suae Diocesis adfore,” patitur. Tales sententiae etiam ab aliis Episcopis, Archiepiscopis etc. prolatae sunt. Paucissimi sese opposuerunt Papae mandatis. Quod vero caeteri nullum iudicium publicarint de opere Febroniano, non est quod miremur, quum tempus iis defuerit, statim Papae obtemperantibus. — WOLFIUS (*Gesch. der Römisch-Kathol. Kirche unter Pius VI.* II. S. 190). iudicium parum honorificum de Germaniae Episcopis protulit, dicens, plerosque eorum prorsus imperitos et actorum ecclesiasticorum et linguae Latinae, ne legisse quidem Febronii librum.

datum est. Quod hic sibi proposuerat effecit. Quomodo, non constat; Febronius ipse ¹⁾ hoc commemorat: „dicunt eum cuiam persuasisse, qui rei particeps erat.” Plura cognoscuntur ex epistola, quam vir illustrissimus de Choiseul id temporis scripsit ad plenipotentiarium quemdam regium, in quadam Germaniae aula degentem. ²⁾

Quum vero Papae mandatis liber Febronii parum arceretur, ³⁾ aula Romana aliam ingressa est viam; incitavit viros doctos ad scribendum contra Febronium, eosque gratiis praemiisque ornavit; ⁴⁾ in quibus fuerunt P. San-

1) WALCH. l. l. I. S. 155.

2) „Je reconnais, Monsieur, les principes et la conduite du Ministre Romain dans la façon de s'exprimer sur N. et dans la manière dont il le traite. Les motifs de l'animosité de la Cour de Rome font trop d'honneur à cet homme scavant et vertueux pour eroire, qu'ils puissent porter atteinte à l'estime et à la confiance de son Maître pour lui. L'opinion que j'ai des lumières de ce Prince, me fait plus tôt présumer, qu'il n'en fera plus de cas d'un homme de mérite et de talents, qui n'est pas servilement dévoué à la Cour de Rome, ainsi que cela n'arrive que trop souvent dans le second ordre du Clergé d'Allemagne.” etc.

3) MENZEL. l. l. VI. S. 30, 31 scripsit: „Wäre Clemens ein feiner Politiker gewesen, so würde er seinen Verdruß darüber, dasz das Buch groszes Ansehen machte, und in den höchsten Kreisen Gönner und Lobredner fand, in das Stillschweigen der Verachtung gekleidet, oder, wenn er eine Widerlegung der Aufstellungen mit Rücksicht auf die Zeitstimmung für unangänglich nothwendig hielt, gewandte Federn zur Heruntersetzung desselben aufgeboden haben. Er war jedoch viel zu ungeduldig, um seinen Unwillen staatsklug in sich zu schlieszen, viel zu ehrlich, um einen anderen Weg als den recht- und pflichtmässigen amtlichen einzuschlagen.”

4) Febronius (Tom. IV. Pars. I. pag. 3.) commemorans praemia, quibus adversarii sui ornati sunt, addit: „Tanti meriti erat unum op-

gallo, Sappel, Zaccaria, et Kaufmanns. Simul ansam dedit Febronii responsionibus, quibus quae docnerat magis stabilirentur et cognoscerentur.

Papa autem Pius VI., nullam quidem bullam contra Febronium edidit, ¹⁾ occasione vero data iudicium suum de eo protulit. In oratione quam habuit, ²⁾ quum Nuntium Coloniensem Carolum Bellisoni Archiepiscopum nominaret in partibus infidelium, locutus est de regionibus, in quibus ille munere suo functurus erat, eo magis periculosus, quo plures adessent haeretici. Pergit Papa in exponendo „se non posse non vehementer dolere ortam „in illis regionibus *eam librorum copiam*, quibus nonnulli, „qui tamen *videntur Catholico nomine gloriari* ac insuper „etiam *ecclesiastica dignitate fulgere*, universam Ecclesiae „hierarchiam subvertere conati sunt. ³⁾ Homines nimirum immoderati atque arrogantis ingenii et continua „novitatum prurigine incitati, ac ventosa sapientia carnis inflati, ea scripserunt docuerunt et evulgarunt, „quae *plurimorum manibus avidè teruntur* et maximo cum

pugnasse „scriptorem.” Et WALCHIUS, l. I. VI. S. 185. scribit: „Die „allgemeine Bewegungen der Römisch-katholischen Höfe, rissen auf der „einen Seite mehr nieder, als die pensionirten Jesuiten, Franciscaner, „und andere aufbauen, oder am Gebäude flicken konnten.”

1) Ut cognoscitur ex opere THEINERI (*Gesch. des Pontif. Clem. XIV.*) Papa hiece litteras scripsit ad Archiepiscopum Trevirensis et Mariam Theresiam, ut arcerent opera Febroniana; frustra tamen, quum urbs *Francofurti*, ubi in lucem prodibant, libera esset.

2) Hoc titulo: „Homilia S. D. N. Pii, Divina Providentia Papae VI. etc.” Invenitur in *le Brets Magazin*. Tom. V. pag. 356, 357.

3) Pius videtur putasse, plures adfuisse auctores talium librorum; forte quia Febronius in defensionibus suis variis usus est nominibus. — Quid Febronius hac in re statuerit de Papae infallibilitate?

„pacis, unitatis, et disciplinae ecclesiasticae detrimento
„fere *omnium linguis* audacissime praedicantur.”¹⁾

Num incertum sit de quonam libro, de quonam auctore Summus Pontifex loquatur? Non credimus.

Jam vidimus, Febronium anno 1777^o librum suum edidisse *abbreviatum et emendatum*, ita ab auctore ipso in compendium redactum, ut plurimorum manibus versari posset; nihilominus jam anno sequenti omnia erant mutata; tunc enim Honthemius suam edidit, quae dicitur, *retractationem*, de qua nunc ultimo loco nobis erit agendum.

III. *De auctoris, quae ita dicitur, retractatione.*

Si quaeritur quibus ex fontibus peti possint ea quae

1) Occurrunt in hac Papae oratione verba haecce: „Nonnulli conat-
„sunt in hanc Sedem, in qua B. Petri Apostoli vivit potestas et excel-
„lit auctoritas, armis omnibus conversis, profligatos errores subdolis
„artibus instaurare.” Non tamen, ut vidimus, Febronius negat, Pa-
pam habere Petri potestatem et auctoritatem, modo ab eo abjudicat
immoderatam illam, quam Petrus non habuit. Scripsit enim „*De le-
gitima potestate.*” — Eundem errorem, in quo vel *de industria* (quo
facilius esset Febronianam rationem refutare) vel revera versabatur
Pius VI., invenimus etiam in Clementis XIIIⁱ epistola, quam scripsit
ad quemdam Principum Ecclesiasticorum Germaniae, in qua legimus:
„Neque enim ignoras, quo miseriarum semper deciderint illae Eccle-
„siae, quarum *Episcopi* sibi sunt assentati, *depressa Romani Pontificis*
„*auctoritate plus sibi accessurum esse potentiae et dignitatis.*” Nil re-
vera detractum volebat Febronius de Papae dignitate, tollere modo in
animo habebat ea quae jure ei non competunt. Episcoporum auctori-
tatem et potentiam non praeter modum vult augere, modo eam restituere
conatur, qua privati fuerant.

spectant ad Febronii retractationem, 1) primo loco indicanda sunt: „*Acta in Consistorio secreto habito a sanctissimo Domino nostro Pio, divina providentia Papa Sexto, feria VI. Decembri MDCCLXXVIII*”, quae a Walehio commemorantur 2).

Papa in Consistorio illo, *venerabiles fratres* alloquens, dicit „splendidissimum exhibere argumentum auram eam, quae inter saevientes procellas prodiit securior, quam bonum sit confidere in Domino; ob quam repletum est gaudio os suum, et lingua sua exultatione.” Summis laudibus ornat venerabilem Fratrem Clementem Wenceslaum Archiepiscopum Trevirensis, Principemque Electorem, „cujus studio perniciosissimi errores extincti sunt, et in victoria veritatis dudum falsa dogmata perierunt.” Joannes Nicolatus Honthemius Episcopus Myriophytanus talia docuisse indicatur; simulque exponitur quomodo Archiepiscopus Trevirensis „ad solemnem errorum suorum confessionem et retractationem Honthemium induxit,” qui facile animadvertit „se fuisse terrena opinione deceptum,” tunc vero statim retractavit, rejecit ac detestatus est quae suis antea libris scripserat, Apostolicae Sedis clementiam implorans; plurima jam accurate revocans, et caetera omnia, quae Papa adhuc emendanda esse censeret, sine ulla cunctatione se correctorum esse, promittens.”

In litteris Archiepiscopi Clementis ad Papam, quae deinceps in illa concione praelectae sunt, scribit Princeps ille, ea, quae perpetrasset Suffraganeus suus et Coëpis-

1) Agitur etiam de ea in Diario cui titulus: *Nouvelles Ecclésiastiques*, et quidem die 16^o mensis Oct. anni 1779i.

2) T. VII. p. 202—240.

copus, magnae tristitiae sibi fuisse. Laudat eum „virum multis nominibus sibi carum ac venerandum,” utpote qui ob excellens et singulare ingenium, immensum omnigenae eruditionis apparatus, longaeuam experientiam, mores a puero intactos, et fervidum restaurandae disciplinae Ecclesiaeque ampliandae studium, prae alio quouis, oneri suo pastoralis levando aptior esset” cett. Dein statuit, „scriptis ejus unitatem Catholicam scissam esse, ad quam reducere Protestantes moliretur; cum vero zizaniorum extirpandorum praetextu, ex agro Dominico etiam triticum evellisse.” Commemorat porro „eum ficto nomine scripta sua vulgasse, et ita quidem caute, *ut quamquam auctoris nomen, uti hominum neminem, ita nec me lateret*, argumenta tamen decissent, quibus eum conscripti operis convincerem.” Timebat vero simul, „ne si eo hominem adigeret, ut Febronianorum scriptorum se auctorem fateri cogeretur, jam asseclarum numero et Magnatum praesidio audacior effectus, eo proterviae procederet, ut infelicis operis elucubratione optime se de Ecclesia et veritate meritum esse contenderet; sicque ignis non jam lente, et clanculum, ut antea, sese diffunderet, sed disjectis repagulis, in vastissimum et nunquam forte amplius extinguendum incendium erumperet.”

Pergit ¹⁾ „*ne longior sit*,” narrare, qua occasione, eum officii sui commonere incoeperit, quibusque gradibus cum Divina Clementia ad Sanctitatis Suae pedes reducerit. Suasque preces concludit Archiepiscopus, orando ut „poenitenti paternum sinum panderet Papa.” ¹⁾

In Actis illis nunc sequitur Febronii, quae dicitur, *re-*

1) Scriptae erant litterae illae die 15^o mensis Novembr. a^o 1778.

tractatio, quo item ordine in consistorio praelecta est. In Retractione sua Febronius declarat: 1) „illud omnium maximum esse, quod in longaeva sua vita sibi evenit triste et acerbum, quod per Archiepiscopum suum intellexerat, Papam indigne ferre plura, „quae in libris Justinii Febronii, seu quovis alio nomine a se evulgatis, aut forte etiam sibi suppositis, continentur, utpote Summae Sedi injuriosa, nec non supremis ejus juribus detrahentia, proin Sanctae Religioni (sane praeter et contra suam intentionem) noxia.” — Papam iratum fuisse non est quod miremur, etiam Febronius facile hoc expectare potuerat recordans, quid monuisset; haud magnum igitur pretium hisce verbis est statuendum. Exponit deinceps „nihil majus viroque bono dignius esse, quam agnitum errorem confiteri et culpam melioribus factis redimere,” sic agnoscit et deflere testatur „errorem ex zelo indiscreto Protestantes Catholicae Ecclesiae et Apostolicae Sedi reuniendi, huncque in finem etiam usus et praxes particularium Ecclesiarum, easque per saepe ultra modum exaggeratas, omnibus Ecclesiis applicandi studio, natum;” quem errorem, quoad viveret, deflere non desineret. — Quid de hisce judicandum, quum in memoriam revocamus, querelas Protestantium de nimis aucta papali auctoritate justas ab auctore saepius dici; quum simul reconciliandi illud studium ad coelum usque tollat? Verba quae sequuntur vix vel ne vix quidem etiam veritati congrua esse possunt, quum supplex veniam et gratiam implorans, declarat sibi in animo esse „jura et decorem Summae Sedis pro viribus tueri, ita et ejusdem Sanctae Sedis judicium libris et luminibus suis praeferre,

1) WALCH. I. I. VII. S. 210—220.

nullumque suae erga eandem submissioni ponere terminum," addens „sibi eripuisse auctoritatem Papae, in qua eam Christi recognoscit, errorem." Exponit denique „genuinos suos animi sensus de Statu Ecclesiae, et summis Sedis S. Petri, Apostolorum Principis, juribus, quos ad Successoris ejus pedes omni cum submissione deponit, tanquam in qua vivere et mori cupit." Hi autem sensus huc redeunt.

„Profitetur et agnoscit cum Tournelio ¹⁾ claves Ecclesiae, et uni Petro et Unitati simul a Christo concessas esse, ita ut unum aliud non excludat." „Claves datas esse uni Petro," dicit, „quatenus ille Primatum et regiminis potestatem accepit a Domino, idemque personam totius Ecclesiae, seu supremus ejusdem post Christum, et sub Christo Rector ac Moderator, gerebat. Datae quoque sunt in bonum Unitatis, et Petro praecipue, et aliis etiam Apostolis, eorumque successoribus Episcopis, quibus docendi ac regendi ministerium et potestas, seclusa plebe, commissa sunt; attamen cum dependentia a Petro, et cum subordinatione ad ipsum, qui eas, communicandas ceteris solus accepit." Rejicit proinde „errorem haustum ex Protestantium fontibus, Ecclesiam collegium esse, non societatem, ut Catholici sentiunt, in qua baptizati fideles ex institutione Christi sub legitimorum Pastorum, ac praecipue Summi Pontificis, regimine degunt; ejus regiminis potestas, a Christo constituta, veram subjectionis et obedientiae obligationem multitudini seu universitati imponit." Primatum

1) TOURNELY († 1729) dogmaticus Franco-Gallus auctor fuit operis cui titulus: *Cursus Theologici Scholastico-dogmatici et morales.*

a Christo constitutum esse et Petro commissum statuit, „ut capite constituto, schismatis tollatur occasio, ut unam Ecclesiam, et unitatem Cathedrae, simulque unitatis originem demonstraret Dominus: schismaticum esse, qui contra singularem Cathedram aliam collocat, vel ab ejus communione recedit.” „Ubi esse Petrum, ibi esse Ecclesiam” dicit, „Petrum Apostolos, sibi ut capiti subordinatos, in fidem suam recepisse, Petro ipsorum etiam Apostolorum curam a Christo esse commissam; ipsum esse Os et Principem Apostolici coetus.” Ultro vero progreditur, magis etiam adversum ea, quae plurimis verbis suo in libro indicaverat, exponens: „Primatum illum, non tantum esse ordinis, inspectionis ac directionis, sed verae auctoritatis ac jurisdictionis, et perpetuum esse debere; in Petri successores Romanos Pontifices, Sedemque Apostolicam, Unitatis Centrum et Radicem, jure divino transiisse, ut nulla ratione transferri a Romana ad aliam Sedem valeat,” verba sua illustrans nonnullis Patrum assertis, quorum justum pretium antea accurate definierat, nimis ornatas tales dictiones ad honorem referens, quo sedem Romanam prosequerentur. Agnoscit eum Concilio Florentino, „Romano Pontifici in Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse, quapropter auctoritatem ac jurisdictionem legitime ille tenet;” quamquam ultima haec verba minime a Concilio erant statuta, dum simul missum facit auctor omnia quae de eo concilio disputaverat pag. 306, 307, 308 sui operis. Profitetur deinceps, Romanum Pontificem summum esse judicem controversiarum in rebus fidei et morum, ac in omni ejusmodi controversia exorta, quod prorsus

rejecerat in opere suo pag. 230, 408, 692. Agnoscit „Ecclesiae datam esse a Christo auctoritatem judicandi de sensu seu doctrina propositionum, librorum et auctorum, ac fideles compellendi ad subscribendum suae sententiae; affirmans constitutioni Unigenitus, ut dogmatico Sanctae Sedis Romanae et Universalis Ecclesiae decreto, omnimodam ab omnibus obedientiam deberi,” quae omnia adversantur iis quae docuerat pag. 701, 705. „Circa Decretales Romanorum Pontificum Epistolas, profitetur cum Gelasio et Leone, eas venerabiliter suscipiendas esse et sancte custodiri debere,” affirmans „Romano Pontifici jure divino competere jus indicendi, dirigendi et confirmandi universalis Concilia, quae inde sortiuntur firmitatem et infallibilitatem.” „Summum Pontificem jure exercere in universa Ecclesia potestatem dispensandi ex legitima causa in lege per Concilium Generale lata” contendit. Quod Episcoporum ordinationem attinet, et translationes depositionesque Episcoporum, tum etiam erectiones novarum Sedium, censet „pristinam hac in parte disciplinam reduci non posse, qua pertinebant ad Provinciales Synodos, praecipue vero ad Metropolitanam, nisi de pleno atque libero Summae Sedis assensu.” Approbat non solum Causas Majores ad Romam deferri, sed etiam in quibusvis causis ecclesiasticis ad Summum Pontificem appellari” in reverentiam Summae Sedis, ac pro suprema potestate eidem in universa Ecclesia divinitus tradita. Una se facere cum Papis Pio II^o, Julio II^o et Gregorio XIII^o exponit, „qui omni jure damnaverant Appellationes a Papa ad futurum Concilium.” Beneficiorum dispensationes ad Summos pertinere Pontifices agnoscit, ut etiam beneficiorum reservationes,

„quae deinceps nationum concordatis firmatae, et moderatae sunt; quae concordata vim pacti habentia, religiose servanda sunt, quum saepius declaraverint Romani Pontifices, signanter Gregorius XIII. longe a suo animo abesse Concordatorum, nominatim Germaniae, infractionem,” quae prorsus differunt ab iis quae leguntur pag. 355, 356 Febronii operis. Annatas pro legitimis habendas esse, censet; atque tales „eo saltem usque retinendae sunt, donec alia aequae commoda ratione, Apostolicae Sedis iudicio, sustentationi, atque innumeris oneribus ejusdem Curiae provisum fuerit.” Itidem approbat Regularium exemptionem, „quorum magna in Ecclesia est utilitas” eorundemque immediatam subjectionem Apostolicae Sedi debitam, declarans „abusibus, ex hac exemptione nasci valentibus, per Concilium Tridentinum occursum et provisum esse.” De Episcopis agens, quos a Spiritu Sancto positos agnoscit, statuit „potuisse Canones ampliore eorum potestatem, quam primis Ecclesiae temporibus, in his quae jurisdictionis sunt, exercuerunt, intra strictiores terminos coercere, quos privata auctoritate extendere nefas foret.” In iis quae ad Fidem, Sacramenta et Ecclesiasticam Disciplinam pertinent, contendit „potestatem Ecclesiasticam pleno jure decernere, sine concursu potestatis civilis.”

Haec sunt praecipua, quae monet auctor, finem imponens suis litteris, has assertiones Papae offerens, „velut tesseram genuinae suae sententiae de divinis ejus Sedis juribus, tamquam monumentum revocationis omnium, quae adversum ea, et si quae fortasse alia verae doctrinae capita, seu universalis Ecclesiae jura a se quavis via, aut modo dicta, scriptave fuere, vel scripta

videri possent," quibus addit: „si quid ultra est, quod circa Fidei, seu doctrinae meae professionem ac declarationem, quam in omnibus sanctae Romanae, atque Apostolicae Ecclesiae conformem esse cupio, jubes, aut postulas; habebis me semper ad eandem germana sinceritate edendam obedientem ac promptum," a Papa veniam implorant „ut poenitentem filium suam in unionem reciperet eique paternum affectum redderet."

Sequuntur vero litterae Papae ad Archiepiscopum Trevirensem, quibus suum gaudium significat, eumque valde laudat ob operam, studium, laboresque quos susceperat, declarans, nihil unquam ab eo in Episcopali munere, neque gloriosius, neque utilius susceptum esse.

Porro promittit Papa, „se inventam ovem, quae perierat, humeris suis impositurum esse, novum Paulum ex Saulo expressum in suum complexum lubenter et amanter recepturum;" Suffraganeum simul laudans ob animi fortitudinem, quae in eo conspicitur, quod suas illas, quas tantopere antea adamaverat sententias, abjecerit, ac detestatus sit. „Simul vero ab Archiepiscopo expectat, ut exigat sua auctoritate a Suffraganeo suo, eum operam illam, quam promiserat, esse perfecturum, qua „illud errorum propugnaculum, quod jampridem extruxerat, funditus delere pergeret."

In littera autem ad Myriophytanum scripta etiam talia inveniuntur; addit tamen Papa „se fretum divinis promissionibus certissime confidere nunquam veritatis Petram ullis adversis ventis ac tempestatibus concuti posse, vel ad ruinam impelli; sed se ejus doluisse vicem, qui se tantopere ab eo averteret, eorum etiam omnium errorem perniciemque deflevisse, quos ingenium ejus, ampla-

que eruditionis ac doctrinae species ad ipsius partes, hoc praesertim adversissimo Ecclesiae ac religioni tempore, facile pertrahebat." Acta illa tandem concluduntur allocutione Pontificis Summi ipsius, in qua dicit: „Febronium non temporali ullo commodo illectum, non virium infirmitate fractum, non ingenio debilitatum, nec molestis inductum suasionibus, sed sola veritatis agnitione permotum, sola Supernae Gratiae illustratione perfusum, solo denique salutis suae desiderio incensum, errores suos singulari studio rejecisse." Nonne haec, „ita rogat „est mutatio Dexteræ Excelsi?" Comparat eum cum Jobe et Davide, errata confitentibus, et confitetur se exspectare, ut etiam caeteri, Romanae Ecclesiae fraudes insidiasque struentes, mox erubescant, quum eos auctoritatis species destituerit, videntes auctorem ipsum errores suos damnassee. Commemorat se Myriophytanum Episcopum in spiritu caritatis amplexum esse, quum „nullas patiatur veniae moras vera conversio, et in dispensandis Dei donis non debeamus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam." 1) Laudat rursus Archiepiscopum, „cujus maximae post Deum in hac opere partes extiterunt," hisce finem faciens verbis: „Gloriemur itaque in Domino, V. fr. et causam „hujusce actionis ad originem suam, caputque ferentes, „illi immortales gratias, illi laudem, gloriam et honorem „tribuamus, in cujus manu et hominum corda, et mo- „menta sunt temporum."

1) Verba Leonis Mⁱ Ep. 83. cap. 4.

Ut Walchius ¹⁾ animadvertit, principium illud quod legitur in Retractatione: „quo definiuntur jura potestatis secularis, in iis quae pertinent ad regimen Ecclesiasticum,” (potestati seculari, ut sponte intelligitur, ingrattissimum) id temporis summi erat momenti, quum vero illud summopere aulae Romanae displicuisset, quod Febronius hac de re in opere suo ante statuerat. Omnia vero illa, quae fundamenta sunt libertatis Ecclesiae, errata judicantur. Ipsa autem Retractatio, ne typis mandaretur vetitum est in regionibus germanicis Austriaci imperii; etiam in Hispania non licitum est eam introduci, quod, ut sponte intelligitur, Romae summopere displicuit.

Walchii aetate jam in dubium vocatum est, num retractatio illa revera provenisset a scriptore ipso; discrimen inter eam et Febronii librum nimis magnum est, si vero talia postea crediderit, qualia in retractatione leguntur, quare non in aliam sententiam scripsit? Nonnulli illo tempore putabant, Honthemium eam non composuisse, sed tantummodo ei subscripsisse, quum praesertim in litteris Archiepiscopi et Papae ille non dicatur eam scripsisse, et mirum videatur in iis epistolis legi, Febronium suas sententias non metus causa retractasse, non item affirmari, nullam metus causam adfuisse. E narratione ejusdem Retractationis, francogallica lingua conscripta ²⁾, haec peti possunt: aulam Romanam adhibuisse varios conatus, ut Febronium ad retractandum permoveret, qui anno 1778^o ejusmodi dedit declaratio-

1) Tom. VII p. 456.

2) Quam WALCHIUS commemorat. l. l. VII pag. 458. et sqq.

nem, quae honesto viro non indigna esset. Papa, hanc non sufficientem esse ratus eam recusavit, ab eo petens retractionem plenioribus verbis enunciata. Simul misit Breve ad Archiepiscopum in quo exposuit, quid ab eo peteret, adhibitis minis se auctorem libri non in gratiam recepturum esse. Quomodo vero haec congruunt cum verbis illis: „*non molestis inductus suasionibus?*”¹⁾

Haec vero acta summum attulisse damnum iuribus regiis, Ecclesiae Germanicae cett: apparet, quum ex voluntate Papae Cardinalis Alberini, Germaniae protector, ab omnibus Archiepiscopis et Episcopis illius regionis litteras gratulatorias ad Papam peteret, Imperatoris quidem concessu haud rogato. Ergo in honorem Febronii dictum sit, non omnia, quae extant in retractatione ei esse imputanda, nam revera scire non possumus, quae ipse scripserit, quae non, id quod forte nunquam planum fiet.²⁾

Myriophytanus igitur, Honthemius non modo deposuerat nomen Febronii, sed etiam sententias suas retractaverat. Parum tamen valebat illa retractatio apud eos, qui jam acceperant probaverantque Febronii principia. Papa non neglexit omnia praebere, quibus quae acta fuissent magis cognoscerentur. *Acta illa Consistorii Secreti* typis

1) Ut legitur in *Gestis Trevirorum* (edd. WYTTENBACHII et MULLERI, *animadv. et addit.*: ad Tomum IIum. pag. 59.) (HERZOG. l. l.) HONTHEMIUS, die 6^o mensis April. a. 1779ⁱ, quo retractatio publicè nuntiabatur, scripsit ad amicum suum, cui nomen erat Krafft: „Que faire? Refuser après des ordres si précis toute déclaration, aurait pu m'exposer avec ma famille à, je ne sais, quoi” etc.

2) WALCHIUS l. l. Tom. VIII. pag. 531—542 duas recenset epistolas *anonymas*, quae nonnulla de eadem re commemorant.

mandata sunt Camerae Apostolicae sumptibus, et missa ad omnes aulas catholicas; sed Mediolani, in urbe Madrido, Venetiis, Vindobonae quam etiam Moguntiae a typis mandari non licitum fuit; in civitatibus haereditariis imperii Austriaci ne nuntiari quidem potuerunt, quum omnia exemplaria, quae, ut jam vidimus, a Curia Romana mittebantur, statim a magistratibus proscriberentur. Haec omnia Pontifici summo fuisse dolori, facile intelligitur. Et recte omnino Broesius, vir aequae pius ac doctus, de talibus Curiae conatibus scripsit „quid valeat vis contra „veritatem, contra lucem solis.“¹⁾ Adsunt testimonia, unde cognosci potest, quid publica ferret sententia de iis, quae tanto cum apparatu Romae facta erant.²⁾ Exstant etiam litterae ab Honthemio ad amicum scriptae, in quibus hunc suae retractationis certiores facit, sed ita haec de re loquitur ut illum, aequae ac summus Fenelonius, obedientem se Ecclesiae filium praestare voluisse, mentem suam quidem minime mutasse, facile inde intelligas.³⁾

1) l. l. pag. 159.

2) „Toutes les circonstances paroissent donner à ce fastueux Consistoire du jour de Noël l'air d'une comédie, et y jeter un certain ridicule, peu honorable pour la cour de Rome,“ legimus in Diario cui nomen est: „*Nouvelles Ecclésiastiques pour l'année 1779.*“ Juin pag. 92.

3) „Ich habe meine Schrift einigermassen widerrufen, sowie ein weit gelehrterer Prälat, Fénelon, wiederrief, um Zankereien, und Widerwärtigkeiten zu entgehen. Aber mein Widerruf ist der Welt und der Christlichen Religion nicht schädlich, und dem Römischen Hofe nicht nützlich, und wird es auch niemals sein. Die Sätze meiner Schrift hat die Welt gelesen, geprüft und angenommen. Mein Widerruf wird denkende Köpfe so wenig bewegen, diese Sätze zu verwerfen, als so manche Widerlegung, welche dagegen Theologaster, Mönche und Schmeichler des Papstes geschrieben haben.“ — *Hannburger Neuen Zeitung.* A^o. 1781. S. 131.

Quomodo alibi illum ita exclamantem audimus: revocare possim S. Scripturam et Sanctos Patres? ¹⁾

Quid vero nobis judicandum est de Febronii retractione? De Galilaei retractione scripsit: „divina sua lumina negare conatus est.” De Petro de Marca: „tempori ac necessitati serviens, alio in scripto animi sui sensus denuo explicavit, ratione Ultramontanis magis accepta, an veriore, videant alii.” De Praelatis illis e Cleri Gallici numero testatus est: „submissas ad Papam litteras dederunt, incerti quidem sensus, attamen dignitati Ecclesiae Gallicanae parum congruas.” Quid vero de eo ipso judicandum erit? ²⁾ Legimus apud Wol-

1) „Comment pourais je rétracter l'Écriture et les saints Pères.” — Etiam in eadem epistola, de qua jam supra vidimus, scripta die 17^o Jan. 1779ⁱ, legimus: „Lisez, s'il vous plait, la Préface à la seconde partie du 4^{me} Tome de Fébronius. Vous y trouverez trois exemples de pareilles rétractations, voici donc la quatrième de la même espèce. Le S. Père m'a adressé à cette occasion un bref plein de bonté, daté du 19 Dec. dernier, où finalement il m'invite et presse d'employer les années que j'ai encore à vivre, à écrire en faveur des droits de son siège. Voilà donc la dernière ressource des Romains, après avoir échoué dans la voie d'une réfutation solide. Entretiens les preuves subsistent, sans être effacées. Il est étonnant, que d'une affaire comme celle-ci, on fasse un éclat, qui doit faire époque, dans le règne de Pie VI. J'aurais juré, que ma petite personne, ne valait pas tant, et que mes écrits n'étoient pas d'une force à épouvanter jusqu'à un tel point Messieurs les Courialistes: je dis, les Courialistes; car pour le S. Siège il n'y avait rien à craindre.”

Exempla illa quae inveniuntur in Praefatione Partis IIae Tomi IVi Febronii operis, sunt GALILAEI, PETRI DE MARCA (Archiepiscopi Parisiensis († 1662) auctoris libri „*de Concordia Sacerdotii et Imperii*,” sive „*de Libertatibus Ecclesiae Gallicanae*,” anno 1641^o prodiiti) et Praelatorum qui subscripserant *Declarationi Cleri Gallicani* anno 1682^o.

2) In „*Novellis Ecclesiasticis diei 1i mensis Junii anni 1779ⁱ*” plurima

fium, 1) Kaunitzium, administrum Austriae, quum ei nuntiarctur Febronium suas retractasse sententias, respondisse tantum rogando, num etiam argumenta sua profigasset

afferuntur, quae certe Febronio ausam dederunt retractandi. Et Honthemius et Archiepiscopus Clemens Wenceslaus perspexisse dicuntur suum fuisse Aulae Romanae morem gerere, et expositis conatibus quos ab omni parte adhibebant adversarii, haec legimus: „On voit donc ici d'une part toutes les batteries, qui avoient été dressées contre M. de Hontheim, et de l'autre que ce Prélat n'était pas à beaucoup près inexpugnable. Il avoit même prévu, qu'il se trouveroit dans le cas de se rétracter et il avoit cité quelques exemples de démarches pareilles de la part de M. de Marca et des Evêques de France du temps d'Innocent XI., témoignant d'ailleurs faire peu de cas de ces rétractations, extorquées par une *domination injuste*. (Voy. la Préface du 4^e Tome de Fébronius, partie 2, imprimée en 1774). Il est à remarquer aussi que, quoique M. de Hontheim parlât dans son livre avec beaucoup de force et d'énergie contre les prétentions Romaines, et que son zèle l'ait même poussé quelquefois un peu trop loin, surtout dans la première édition, on y voit néanmoins peu de délicatesse sur l'article de la sincérité, par rapport à l'acceptation des Decrets de Rome. Il prétendait que cette acceptation n'est quelquefois qu'une formalité sans conséquence, et qu'on n'est pas toujours obligé d'adhérer de coeur et d'esprit à la décision que on accepte.” — Honthemium revera systema illud secutum esse exemplo indicatur, quod legitur in eodem Diario, a die 2^o mensis Octobris aⁿ 1765i, quod tamen fusius exponere hic non possumus, quamquam revera honorificum testimonium illius indolis hac in re non praebet, atque minime convenit cum animo sincero et candido, quem plurimis locis ostenderat. — „Avec de telles principes et de telles dispositions, M. de Hontheim aurait sans doute mieux fait de ne point publier d'ouvrage, que de s'exposer à scandaliser l'Eglise en le retractant. Il ne suffit pas d'avoir des talents et des lumières, pour prendre en main la cause de la vérité. Il faut y être attaché sans réserve; de peur de l'exposer aux insultes, si on venoit à l'abandonner et de fournir par cette défection un sujet de triomphe à ses ennemis.”

Quam vero parum genuina retractatio illa existimari possit, exinde ap-

1) „Geschichte der Kathol. Kirche unter Pius VI.” Band II, S. 272,

Febronius? Et revera aliud est retractare suas sententias, aliud argumentis probare errorem suum. 1) Quid porro

parat, quod Honthemius ulterius quidem in nonnullis progressus sit quam Ultramontani ipsi, ut l. l. legimus: „Il se déclare, par exemple, pour l'infailibilité de l'Eglise dans les faits non révélés; et l'on sait que Rome même rejette cette fausse opinion. Concluons que la rétractation du livre de Fébronius déshonore également, et celui qui l'a donnée, et ceux qui l'ont sollicitée, et ceux qui en ont fait un si vain étalage.” — In Diario supra laudato diei 2ⁱ m. Oct. 1779ⁱ, Honthemius etiam valde reprehenditur, quod in Litteris suis Pastoralibus ad clerum et populum Trevirensium, datis die 3^o mensis Febr. anni 1779ⁱ, in quibus commemorat retractationem suam et Acta Consistorii Romae habiti, antiquitatis studium indicat ut fontem ac originem, unde evenit quod homines „novitatis cupidine ducti, infectas et sinistras quasdam assertiones accipiant,” ita studium illud, cui ante toto animo incubuit, noxium et nefarium rejiciens. — Porro in iis „perverso hujus seculi tanquam ingenio” tribuit, librum suum a plurimis grato animo acceptum fuisse; animi rationem denique prorsus mutatam, saltem ut videtur, conspiciendam nobis præbet, et assentiendum erit verbis quae loco supra laudato legimus: „Lors donc que l'on considère, soit les points de „doctrine que ce Prélat rétraite, soit les motifs qu'il allègue de son „changement, soit l'engagement qu'il prend de réfuter son livre, on ne „peut que gémir sur la fin d'un Prélat, à qui ses vertus et ses talens „sembloient assurer une place distinguée dans la chaîne de la tradi- „tion.” — Litteris hisce pastoralibus adjunctum erat breve papale, die 2^o mensis Januarii anni 1779ⁱ editum, ad Archiepiscopum Electorem Trevirensium, de quo legimus: „Ce Bref est terminé, selon l'usage, par la „bénédiction Apostolique; et c'est tout ce qu'il y a de Papal. Rien „de plus déplacé et de plus indigne du S. Siège que cette description „ampoulée du Consistoire du jour de Noël. L'auteur relève toutes les „circonstances du temps, du lieu et des personnes, comme l'auroit fait „un écolier. Le beau personnage pour un Pape de triompher avec „tant d'ostentation d'une pareille victoire?”

1) SCHRÖCKH. l. l. S. 552: „Schon an sich begreift jeder Verständige leicht, dasz ein Widerruf, ohne beygefügte Gründe, noch keine Widerlegung sey.”

nobis censendum est de sene jam octogenario, qui majorem vitae suae partem degerat in incumbendo ad principia ea, quae sua esse agnovit, et quae per quindecim annos strenue defenderat variis in scriptis contra plurimos adversarios, sed qui ea nunc rejicit, nulla quidem argumenta afferens, quibus principia ea recens accepta confirmet? ¹⁾ Accedit, quod leguntur in Brevi Papali, die 22. Septembr. anni 1778ⁱ dato (quod Papa miserat ad Archiepiscopum Trevirenses, remissa Febronii retractatione, cui plura adderet quamve affirmaret) verba sequentia: ²⁾ „Neque enim vereri possumus, quin ipse „(Suffraganeus) non cupidissime Nobis tam justa pe-
 „tentibus obsecuturus sit, caque expleturus, quae ab illo
 „utpote Ecclesiae utilitati necessaria, et ipsius famae
 „seu nomini maxime profectura desideramus Quodsi
 „nihilominus *illis correctionibus nostris* in suam retracta-
 „tionem *eo quo praescripsimus modo omnino recipiendis*
 „repugnaverit, quid tunc aliud existimare poterimus,
 „nisi *locum omnem nostrae veniae*, nostraeque in eum

1) In litteris quibusdam, mox afferendis, dicitur: „Supposé qu'il ait „découvert tout-a-coup, et par une Inspiration soudaine, pour les opi- „nions contraires des preuves illamineuses, que cinquante années d'étude „n'avoient pu dévoiler à son esprit, quoique plus vigoureux, et plus „pénétrant alors.”

2) WALCH. l. l. VII. pag. 462. — Etiam in Diario cui titulus: „*Nouvelles Ecclésiastiques*, diei 16ⁱ mensis Octobr. anni 1779ⁱ legimus: „Qu'on „a surpris manifestement la religion du St. Père, en lui faisant dire „dans son Allocution, que cette rétraction a été entièrement libre, et „que les partisans de la Cour de Rome ne cessent néanmoins de bercer „le monde de cette chimère de liberté.” — Simul vero in iis indicatur, Exjesuitam nomine Zaccaria, suae Societatis causa Curiae partibus magnopere addictum, confesseisse amplio rem retractationem, quacum Febroniana congruere deberet.

„Pontificiae gratiae, *ab illo nobis esse praecclusum?*” Haec omnia explicatione vix indigent. ¹⁾ Vehementer dubitamus, utrum aliquis serio credat, Febronium suas rejecisse sententias, quoniam erroris convictus erat. Attamen ut recte animadversum est in Novellis Eccles. diei 16ⁱ mensis Octobr. anni 1779ⁱ, nimis ulterius quam fas erat progressus est scribendo suam retractationem, atque morem gerendo Aulae Romanae. ²⁾ Ceterum fama erat, Archiepisco-

1) Legitur (Gesta Trevir. l. l.) in epistola, quam scripsit HONTHEMIUS, die 17^o mens. Jan. ejusdem anni „J'ai donné une déclaration in Generalibus, elle fut envoyée à Rome, ou l'on n'en était pas content. — On la renvoya avec plusieurs corrections et additions. Le Bref du S. Père à S. A. S. E. dont elles furent accompagnées, contenait entre autre, „quodsi nihilominus illis correctionibus nostris in suam retractationem, *eo quo praescripsimus modo omnino recipiendis repugnaverit: quod tunc aliud existimare poterimus, nisi locum omnem nostrae veniae, nostraeque in eum pontificiae gratiae ab illo nobis praecclusam.*” — Ceci et plus encore les pressantes instances de S. A. E. me déterminèrent à adopter une bonne partie de ces corrections, etc.

2) Sic vero Honthemius scripsit, ut discimus ex Novellis Confluentinis diei 7i mensis Aprilis anni 1780ⁱ, (WALCH. VII. S. 536): „Comme je vois par plusieurs Gazettes, qui me sont parvenues en différents temps, et particulièrement par celle de Florence de l'année présente Num. 9. qu'on cherche à persuader au Public, que la rétractation de l'ouvrage de Febronius, telle que je l'ai envoyée à sa Sainteté Pie VI. sous la date du 1. Novembre, m'ait été arrachée: je déclare par les présentes, que la dite rétractation, que j'ai donné sous la Médiation de S. A. S. Electorale, mon très gracieux Souverain et Archévêque, a été de mon côté toute volontaire; et que je suis d'intention de la justifier et de l'éclaircir par les S. Canons et par la discipline de l'Eglise, dans un ouvrage, que j'ai déjà commencé et que j'espère d'achever, avec l'Aide de Dieu. Donné à Trèves le 2 Avril. 1780.”

J. N. DE HONTHEIM,
Suffragant.

pum ei minitatum esse sepulturam extra terram sacram, si Papae voluntati morem non gereret. Etiam in duabus illis epistolis, franco-gallica lingua conscriptis ¹⁾, e quibus jam nonnulla attulimus, memoratu dignissima occurrunt. ²⁾

1) Quae occurrunt in WALCHII operis Tom. VIII^o. pag. 533—542, et sic inscribuntur: „Lettre de M. de M. de XXX à Mr. de XXX à XXX. le 24 Avril. 1780. Rapportée dans les Nos. 38 et 39. de la Gazette Universelle de Littérature de Deux-Ponts. 1780. — Quodsi quaeritur quodnam pretii his litteris statuendum sit, necesse est nonnulla afferre, quae a Walchio exponuntur. Scil. tomo VIII^o p. 531a enarrat, se eas accepisse una cum epistola anonyma francogallica lingua conscripta, in qua ab ipso petebatur, ut eas adderet operi suo, cui titulum dedit: *Neueste Religionsgeschichte*. — Commemorat easdem inveniri in opere viri Clarissimi, Collegae SCHLOEZERII, cui nomen est: *Briefwechsel* (ibi vero Heft XXI. nr. 56. Th. VII. S. 275), qui eas eodem acceperat modo; sed se putasse non fore honestum, si quid istiusmodi omitteret, quod a se petitum esset. — De earum vero *axiopistia* haec scripsit l. l. „Es ist mir von einigen Freunden gegen die Bekanntmachung soleher „*anonymischen* Briefe das bedenken geäußert worden, dasz ihre Glaub- „würdigkeit sehr zweifelhaft seyn müsse, so lange man ihren Urheber „nicht wisse. — Mich beunruhiget dieser Zweifel nicht: ich kann zwar „nicht verlangen, dasz man nur auf mein Wort glaube, diese Briefe „verdienen eben solche Glaubwürdigkeit, als wenn ein Name darunter „stehe, ob ich gleich wenigstens mich mit der Hofnung schmeicheln „darf, durch meine Untersuchungen älterer und neuerer Geschichte „einen verdacht von Lichtgläubigkeit gegen mich nie erweckt zu ha- „ben. — So viel kan ich aber doch versichern, *dasz mir die Quelle* „*bekannt sey*, aus welcher der erste und diese Briefe geflossen und „*dasz diese die Grösste Glaubwürdigkeit verdiene.*“ — Eadem valent de epistola illa, quae invenitur Tomo VII^o. pag. 461a.

2) In prima harum epistolarum haec leguntur: „Cette déclaration de M. de Hontheim doit servir principalement à contredire l'histoire de „sa Rétractation, telle que le N^o. 9 de la *Gazette Universale* de Flo- „rence de cette année l'a rapportée en abrégé. Mais par malheur cet „Abrégé n'admet pas de contradiction: parcequ'il contient mot-a-mot „l'essentiel du Bref comminatoire du 22. Sept. 1778, Bref, dont la Cour

De libro autem, quem se scripturum esse Honthemius dixerat, ad illustrandam suam retractationem et fusius exponendas suas sententias, scriptor hujus epistolae cen-

„de Rome ne sauroit, ni nier l'existence, ni prétexter l'ignorance. Et
 „ce que dans cette nouvelle déclaration on fait dire à Mr. de Hontheim:
 „qu'il est d'intention de justifier et déclaircir sa rétractation dans un
 „ouvrage, qu'il a déjà commencé, „est une nouvelle foiblesse inconcevable
 „du jugement du parti adverse, et qu'il a fait adopter au bon Evêque
 „Suffragant, que son age de quatre-vingt ans excuse en quelque façon
 „de s'être laissé encore induire à pareille Déclaration, qu'on aura de la
 „peine à combiner avec son bon sens reconnu. Néanmoins tous les gens
 „d'esprit, informés des procédés, jusqu'ici mis en usage contre ce
 „pauvre viellard, n'en croiront pas moins invinciblement, que ces
 „prétendus arguments, auront été non l'effet de son illumination tar-
 „dive et subite, mais le résultat des suggestions impérieuses du parti
 „contraire, comme l'étoit entre autres dans sa prétendue Rétractation
 „le ridicule: „*Profitetur et agnosco cum Tournelio*” *cum Tournelio?*
 „A présent ce nouvel ouvrage, s'il paroît, et la nouvelle Déclaration,
 „qui l'annonce, ne peuvent être regardés, que comme un nouveau triom-
 „phe indigne, remporté par un parti violent sur un viellard sans dé-
 „fense, viellard blanchi avec honneur jusqu'à sa pitoïable rétractation,
 „et qu'on devoit au-moins laisser enfin mourir en paix; et réfuter,
 „si l'on peut son Fébronius, dont les fondaments inébranlables, et
 „non le nom de l'auteur, font la solidité. — Le parti adverse perd
 „donc tout le fruit de cette nouvelle et mal adroite ruse, puisque par
 „l'annonce inconsidérée, que cette déclaration contient, et dont néan-
 „moins ce parti triomphe tant, il a mis le vénérable, mais infortuné
 „Octogénaire dans l'impossibilité même d'accréditer les arguments, que
 „dans ce nouvel ouvrage on lui fera sans-doute ramasser en faveur de
 „ce parti; arguments qui, sans être d'aucun avantage à ce parti, fe-
 „ront, seulement à M. de Hontheim, le tort d'en faire un avocat pour
 „et contre, ou du moins un palliateur forcé de ses vrais sentiments.

„Enfin la seule chose, que la Cour de Rome, dont-il s'agit princi-
 „palement dans Fébronius, puisse espérer de gagner par tous ces pro-
 „cédés, mais aussi aux dépens de son honneur, est (et c'est à quoi
 „elle paroît viser) de rendre, au moins à des esprits superficiels, de

set, aulam Romanam eandem rationem, quam in retractatione esse secuturam. Episcopum Myriophythanum vero nullo modo principia sua mutasse, satis probat liber, quem postea edidit hoc indice: „*Justini Febronii Commentarius in suam retractationem Pio VI. Pontifice Maximo Kalendis Novembr. A^o 1778ⁱ submissam. Francof. ad Moen. 1781. 4.*” In praefatione indicat, se ad condendum illum librum parvenir, et quia non-

„nouveau-problématiques ses vieilles prétentions tant de fois combattues; de tenir la réputation d'un Prélat aussi respectable que M. de Hontheim, qui les a renversées de fond-en-comble; et de faire passer „à jamais l'envie à tout savant à-venir de s'opposer aux usurpations „adroites de cette Cour. Par où nous voilà replongés dans le siècle „des fausses Décrétales, et dans ceux de cette affreuse barbarie en tout „sens, où, ne pouvant répondre aux arguments, l'on tranchoit le noeud „de la difficulté, en fermant impérieusement la bouche à quiconque „osoit vouloir en proposer contre le despotisme hierarchique, comme „le plus grand obstacle de la réunion des Fidèles.”

In altera epistola (WALCH. l. I. S. 537.) — cui titulus est: „Autre lettre „sur le même sujet en date du 8 Juin 1780.” — verba faciens de libro illo quem Hontheimius compositurus erat, scriptor ait: „Si dans cette nouvelle „production il parvient à persuader les lecteurs, *magnus erit nobis Apollo.* „Car ce n'est pas la même chose de *retracter*, soit de gré, soit de force, „et de *prouver* que la chose est ainsi (quod Galilaei exemplo demonstratur). „La vérité est une; Fébronius l'a démontrée, et M. de Hontheim tomberoit en des contradictions insoutenables, s'il vouloit la démentir. „La matière que traite Fébronius, n'est pas une de *controverse*, mais „de *faits*, et contre les faits, toute preuve est vaine. Plus que Rome „remuera cette affaire, plus elle y perdra, suivant le proverbe: „qui a „les toits de cristal, doit se garder de tout jeu à coups-de pierres.”

Praeterea de editione magis contracta Febronii operis agens, haec scribit: „Un abrégé, le mettrait plus à la portée de tout le monde, et „lui donnerait une tournure plus au goût de ce siècle; par où il le „reperdroit beaucoup d'avantage, et le rendroit par-là bien plus redoutable à la Cour de Rome.” cett.

nulli viri, rerum periti, ipsum incitaverant ad explicandam retractationem, et quia voluerat Papa ut eam defenderet. Dicit, se hunc librum sine censura typis mandandum curasse, itaque errores, qui in eo fortasse adsint, sibi modo esse imputandos. Triginta et octo theses e Retractatione Febronii in eo explicantur. ¹⁾ Et quamquam scriptor non eadem forma usus est, qua in opere primario, sed tali, quae Papae magis placebat, tamen ita paparum auctoritas in eo definitur, ut non censi possit prorsus placuisse. Nam, ut exempla nonnulla afferamus, ²⁾ ait scriptor eam ob causam, unum ex Apostolis, eandem ceterum potestatem habentibus, a Christo Primatu ornatum esse, ne oriretur *schisma*; quamquam doctores Sorbonniaci statuunt hoc factum esse, quia in

1) Vir doctissimus J. ALZOG, l. l. pag. 947, 948 ait: „Doch übergab „Hontheim seinem Erzbischof eine Erklärung sammt Commentar, die „deutlich zeigte, dasz der Widerruf nicht ernstlich gemeint war.“

2) Fusius de Commentario illo agitur in Novellis Ecclesiasticis dierum 20 et 27 mensis Febr., ut etiam 6ⁱ mensis Martii anni 1782ⁱ, ubi de illo opere sic judicatur: „Nous voudrions de tout notre coeur pouvoir „rendre témoignage à cet écrivain, qu'il a effectivement rempli dans „son Commentaire le dessein qu'il annonce (il espère, dit-il, qu'ou „trouvera les droits du Saint-Siège et ceux de tous les autres États mis „dans leur vrai jour; son dessein ayant été de garder un juste milieu, „et de rendre à chacun ce qui lui appartient, sans aucune partialité, „et en ne prenant pour guides que la vérité et les SS. Canons). Mais „nous ne pouvons dissimuler, qu'en même temps qu'il s'efforce de „rétablir les principales maximes de son fameux livre „*de Statu Eccle-* „*siae*,“ qu'il paraissait avoir retractées, c'est avec des ménagements et „des subtilités peu conformes à sa franchise naturelle, ainsi qu'à la „sincérité Chrétienne. Nous doutons que l'Exjésuite Zaccaria applique à „ce Commentaire ce qu'il a dit de la Rétractation, que Febronius y fait „paraître un esprit éloigné de toute duplicité, une sincérité vraiment „Allemande, et une égalité d'âme qui ne se dement jamais.“

Petro Ecclesiae persona repraesentatur. Concedit vero, Papam iudicium habere in causis *fidei morumque*; non tamen *infallibile*, modo *provisorium*, quum non liceat contrarium statuere. Si vero quies nondum adsit, Concilium generale instituendum est, cujus iudicium revera infallibile sit. Papa Episcoporum iura sibi vindicare non potest Primatus praetextu, quum Ecclesiae legibus revera teneatur. Bulla Unigenitus non est fidei dogma, qui ei non obedit, haereticus non est habendus. Papae quidem est, convocare synodum oecumenicam, eique praesidere; sed rebus urgentibus etiam sine Papa convocari potest a principibus Catholicis, Praelatis suadentibus summae dignitatis. Et quamquam cum Franco-gallicis theologis statuit, Papam a tali Concilio iudicari posse, simul tamen docet hoc faciendum esse: „quanto cum grano salis.” In causis summi momenti *appellatio habenda est a Papa ad Concilium*, non tamen singulorum hominum, sed totarum Ecclesiarum, vel principum iisque iunctorum, *salvo tamen honore Apostolicae Sedis*; quamquam etiam in tali causa, quae iure fit, Papae iurisdictio non prorsus tollitur. Principes, defensores Ecclesiae legum illiusque disciplinae, nullo modo Regularium exemptiones tollere possunt; ex eorum tamen potestate iis ius est puniendi vel in exilium mittendi tales monachos, qui civitatis legibus moribusve sese opponunt.

Commentarius hicce Honthemii additus est *Actis Consistorii secreti*, Romae editis; quibus, ut alia scripta omittamus, adjunctus est, ne Romanis auribus offenderetur, finis libelli a Jesuita Zaccaria conscripti, cui titulus est: „*De clarorum virorum retractationibus*,” ut indicaretur

„Febronii retractationem fuisse certam, liberam, apertam, opus summorum gravaminum strenuque studii, vero universae Ecclesiae summae utilitatis.”¹⁾ Qui decipi vult, talia credat; quam vero multi fuerint qui talibus machinationibus nequaquam in errorem ducti fuerint, optime e postrema hujus Dissertationis parte patebit. Itaque apparebit non injuste dictum esse:

„Quod Marca est Gallis, Belgis Espenius audit:
„Germanis Hontheim lumine, sorte fuit 2).”

1) In Novellis Eccles. diei 6i mensis Martii aī 1782i.

2) Quae verba leguntur, in Novellis Eccles. diei 14i mensis Novembr. anni 1783i, composita fuisse ab amico Honthemii quodam, qui semper arctissimo amicitiae vinculo ei conjunctus, ipse etiam anno 1762^o librum, Febronii nomine insignem, Eislingero Francofurtensi tradiderat, qui hunc typis mandari curavit. In Diario allato versus illi sic dijudicatur: „Dans le vrai ces deux vers ne sont pas heureusement tournés, et la pensée qu'ils expriment n'est pas juste. Car, si M. de Hontheim a suivi l'exemple de M. de Marca, en accordant sa rétractation à la Cour de Rome, il en avait un beaucoup meilleur dans M. van Espen, qui aimait mieux perdre ses places et s'exiler de sa patrie. Personne ne rend justice plus volontiers que nous au mérite de M. de Hontheim, et aux services qu'il a rendus à l'Allemagne par son livre de *Justinus Febronius*. Mais, depuis qu'il a eu la faiblesse d'abandonner cet ouvrage, et de jeter des nuages sur les principes qu'il y établit, il faut avouer qu'il se montre peu digne de l'avoir fait, et il importe peu qu'on lui dispute cet honneur,” (ut fecerat sacerdos quidam Slavonicus, nomine MARTINOWICH, in libello a se edito). Idem distichon etiam occurrit in epistola illa jam laudata, quae exstat apud WALCHIUM (l. l. VIII. p. 537. sqq.), ubi discrimen Marcam et Honthemium inter agnoscitur, quum de illo sic judicetur: „Tout le monde sait que l'esprit souple de ce Prélat intéressé régloit toutes ses démarches suivant son ambition démesurée,” quod Honthemio prorsus denegatur, minime vero ei „qui pousse M. de Hontheim à toutes ces fausses démarches.”

C A P U T I V.

DE HUIUS LIBRI FRUCTIBUS ATQUE EFFECTIBUS.

Si quaeritur quamnam vim atque efficacitatem in Honthemii aequales hic Febronii liber exercuerit, quosnam fructus et postea tulerit hoc opus, duplicis generis hos fuisse statuimus, quatenus magis ad Historiam Politicam aut ad Historiam Ecclesiasticam referri possint; sive cogitemus de principibus, novi rerum ordinis studiosis, sive rursus ad Ecclesiam ipsam, cujus socius Honthemius fuit, oculos nostros convertamus, hanc, pro parte saltem novum animum spirantem inque novam viam, quam tamen citius eheu reliquit, progredientem videbimus.

Quamquam haud immemores sumus, omnia *quae post aliquam rem eveniunt*, idcirco *non propter eam fieri*, non tamen difficile erit veluti digito indicare, quatenus omnino Febronii operi tribuenda sint, quatenus arcte cum libro illo atque opinionibus quas exhibet cohaereant, verbo dicamus, quinam illius fructus atque effectus sint dicendi. Ita loquemur primo loco de reformationibus in regionibus maxime Romano-Catholicae Ecclesiae adhaerentibus, quarum ipsarum principes auctores fuerunt, et

quidem in *Bavaria*, *Austria* et *Tuscania*, deinceps vero de exorto in Romanae Ecclesiae sinu reformationis studio, uti hoc sese manifestum reddidit in *Episcoporum*, *Juris Canonici Doctorum* et eorum sententiis, qui praecipue proxime sequentibus temporibus rationem *liberam*, *humanam*, *evangelicam* sequebantur. De his singulis seorsim videbimus, maxime ad ea oculos vertentes, quae arctissime cum fine nobis proposito cohaereant.

I. *De nova in Bavaria conditione rerum Ecclesiasticarum, tempore Electoris Maximiliani Josephi.*¹⁾

Uti haec regio satis angustis limitibus circumscribitur, sic quoque reformatio quae hinc exstitit, haud late patuit, vel sic tamen Historici attentione haud indigna dici meretur, quoniam Bavaria ad tempus usque quod descripsimus, maxime systemati papali atque Jesuitis dedita fuit; cum quodam laetitiae igitur sensu primos solis radios ibi adspicimus, ubi huc usque altae tenebrae regnaverant. Elector ipse Maximilianus Josephus prorsus Jesuitarum auctoritatem agnoscens, iis summo-pere favebat, sed nactus erat Petrum Ostervaldiensem administrum, novas partes sequentem. Hunc nominavit directorem tribunalis ecclesiastici, quod instituerat anno 1769°, ad vindicanda jura regalia in rebus ecclesiasticis, quo sibi proposuit efficere, ut monachi tribuerent debitum civitati, et quidem pecuniis certis temporibus

1) SCHLOSSER, l. l. Tom. III pag. 161, 162. GIESELER, „*Lehrbuch der Kirchengesch.*“ IV. s. 149, 150.

solvendis, decenniorum loco, quae difficile erat sibi comparare. Eodem tempore definiebatur, quamnam pecuniae summam monacho monasterio afferre liceret; et simul qui novitiorum numerus esse posset. Monasteriorum jus capitis damnandi abrogabatur, quod multorum criminum causa fuerat. Petrus ille Ostervaldiensis idem sentiens ac Honthemius, aequae ac hic nomine ficto, scilicet Veremundi Lochstenui lateus, librum conscripsit: „*Argumenta pro et contra immunitatem ecclesiasticam*,” in quo opere pauperum agricolarum jura defendebat, quod vero approbaverat Elector, quamquam ab Episcopo Freisingensi damnatum fuit, et haec damnatio publice nuntiata erat a tribunali ecclesiastico. Tribunal tamen ecclesiasticum electorale et illius director omnibus modis fines imponebant systemati Jesuitarum, decernentes nullum valere statutum, nisi a se probatum esset. Legati regii adesse debebant clericorum nominationi, nemo nondum viginti quinque annos natus monachorum ordini adscribi potuit, nulli ordini communicare licebat cum illius principe extra regionem ipsam versante. Jesuitae omnino sese hisce opponebant, Moguntiaci Latina et in Bavaria Germanica editione operis Cardinalis Bellarmini: „*De potestate Paparum*,” quo systema Gregorii VII et Innocentii III defenditur; in utraque vero regione a magistratu defendebatur. Elector vero Moguntinus rejiciebat prorsus ea quae liber continebat, aptissima ad diruendam potestatem principum secularium, ad Episcoporum auctoritatem definiendam, ad vitae regnoque principum insidias struendum, ad publicam quietem turbandam et undique seditionem excitandam.

II. *De Josephi IIⁱ Imperatoris Reformationibus.* ¹⁾

Maria Theresia die 29^o mensis Nov. anni 1780ⁱ mortua erat. Recte dictum est: „mors dissolvens sanctam ligationem, etiam dissolvit jugum.“ Imprimis sibi proposuerat novus Imperator reformare conditionem ecclesiasticam suarum regionum, quod consilium jam matre adhuc in vivis in animo habuerat, quod vero auctum erat in itinere per Franciam ab Archiepiscopo Tolosensi. Praesertim eo tendebat, ut frangeret hierarchiam per longum seculorum cursum in Germania praevalemtem, et quidem non tantum Jesuitarum ordinem expellere, sed revera auctoritatem totius cleri infringere in animo habuit. Hierarchia quidem magnopere valebat in Germania, a regnis quoque Protestantibus (quod mirum videri possit) adjuta; nam ut in Jesuitarum causa Borussia et Britannia aliquomodo eorum partes suscipere conabantur, sic etiam in Germania Electores Brandenburgensis et Hanoverensis nun-

1) A. DE SAINT-PRIEST. „*Geschiedenis van den val der Jezuiten in de 18^e eeuw,*“ pag. 159. (vers. Belg.) — Cf. porro de Imperatore Josepho II^o: GROSZ-HOFFINGER, „*Histor. Darstellung der Allein-regierung Josephs II, insbesondere der Reaction gegen den Geist seiner Anstalten. Stuttgart und Leipzig 1837.*“ Scripsit idem: „*Geist der Gesetze Kaiser Josephs II.*“

Vir doctissimus JOH. CAROL. LUD. GIESELER, in opere, cui titulus: „*Kirchengeschichte (des achtzehnten Jahrhunderts.) Vierter Band — aus seinem Nachlasse herausgegeben von Dr. E. B. REDEPENNING. Bonn 1857 —*; dicit pag. 81^a (§ 19. *Josephs II Reformationen*) eodem indutum spiritu, quem Febronius principibus commendaverat, Imperatorem Josephum mox agere coepisse. Cf. etiam SCHRÖCKH. l. l. s. 494—501, et WOLFS „*Gesch. der Rom. Kathol. Kirche unter der Regierung Pius VI. Dritter Band, S. 406—525.*“ MENGEL. l. l. VI. s. 49.

tiis papalibus favebant, certe quidem non Papae causam amplectentes, sed ut sibi ipsis prospicerent. 1)

Simulatque sermo est de reformationibus Josephi IIⁱ, ecclesiasticam rationem civitatum Austriacarum spectantibus, sponte in mentem nobis veniunt ejus tolcrantiae edicta, ac bona, quae Ecclesiae Evangelicae ex ejus statutis perceperint. Haec omnia tamen minus cohaerent cum fine quem nobis proposuimus; tantummodo de iis nobis agendum erit, quae Febronii opus vim suam exercuisse, indicent. Ac sane Josephum ipsum hujus systemati addictum fuisse, caussae, quas cum Papa et Curia Romana habuit, nobis probabunt.

Fere omnes principes Catholici Papae causam reliquerant, Protestantes contra plus minus eam defendebant; Maria Theresia sola ei auxilium praestitit, in quo Papa totam suam spem posuerat. Mortua erat illa Imperatrix, Roma vero nihil timebat. Undique procellae imminabant, Pius VI. nihil vidit, vel videre noluit. Prudentiae monitis et consiliis sane utendum fuisset. Papa illa prorsus neglexit. 2) Papa primas partes agebat: proce-

1) DE S. PRIEST, l. l. pag. 163, 164; tale commemorat exemplum, unde patet, Electores Caput Catholico-Germanicae Ecclesiae ad Tiberim versans praefere habitanti ad Rhenum, quocirca Romanae Curiae morem gerebant.

2) Omnino causa aderat prudenter agendi, nam non injuste de Imperatore JOSEPHO dictum est. „La passion de changer et d'améliorer le poursuivit au milieu des voyages, au sein des armées, jusqu'au moment de son sommeil. C'est un prince dont les actions paraissent aussi rapides que les pensées, un monarque qui semble avoir le pressentiment d'une mort prochaine, et qui se hâte de finir un ouvrage, dans la crainte de le laisser imparfait.” — (In Praefatione operis cui titulus: „*La vie de JOSEPH II. par le Marquis DE CARACCIOLI A^o. 1790^o.*”

mium indicabat iis quae sequerentur. Primus ad novam rerum conditionem impulsus a Papa exiit. Pius scilicet in memoriam Imperatricis, ut fieri solebat, mortuis potentissimis Catholicis principibus, nolebat justa funebria peragi, nuntiando Cardinalibus, in consistorio congregatis, damno quod Ecclesia passa erat, adhibito argumento, hoc nunquam factum esse mortuis principum uxoribus. Quod hic certe minime valebat, quia Maria Theresia ipsa princeps regnaverat, non vero ut Imperatoris uxor coronam gestaverat. ¹⁾

Haec quidem offensio revera non ansam dedit reformationes perficiendi quas Josephus sibi proposuerat. Populum tamen ipsum, qui summo amore Mariae Theresiae memoriam prosequabatur, imprudens laeserat Pontifex. Haec igitur aptissima fuit causa Josepho, ut iram suam in aulam Romanam declararet. Mox sequebantur plurima decreta: ²⁾ Bullae Papales *Unigenitus* et *In Coena Domini* abrogabantur, ³⁾ atque e ritualibus amovebantur; quarum altera Episcopum Romae dominum instituerat Imperatoris et Regum, altera Jesuitarum doctrinam affirmans, discordiae semina per totam Ecclesiam Roma-

1) DE S. PRIEST, l. l. pag. 168. Commemorat Cardinales ipsos id saepius Papae exposuisse, qui omnia rejiciebat consilia. Imperatoris verba hac occasione edicta ad nos pervenimus: „Parum mihi fit, num Episcopus Romae officia sua peragat, nec ne.”

2) Cf. WALCH, l. l. Th. IX. S. 67—240. „*Nachricht von Sr. Maj. des Kaisers in Religions- und Kirchensachen ergangenen Verordnungen,*” imprimis p. 128—170. et MAILATH l. l. pag. 137—142 sqq.

3) Bulla illa „*In Coena Domini*” dicitur a JOHANNE A CALORE in „*Febronii Apologia adversus quatuor Theologos*” (Tomo II^o anno 1771ⁱ pag. 333): „*Isidorianarum Decretalium filia, mater continuarum collisionum Sacerdotium inter et Imperium.*”

nam largissima veluti manu sparserat. Bulla *In Coena Domini* abrogabatur die 4^o mensis Maji anni 1781ⁱ, atque simul indicta fuit poena quinquaginta florenorum ei, qui rituale eum bulla retineret: duobus mensibus a die publicati praeterlapsis. ¹⁾ In ceteris quoque causis usus illius bullae vetabatur; simul summa inculcabatur obedientia clericis erga Episcopos, ut his erga leges et statuta principum regionum; neque hoc gravi sine causa, quum Episcopi saepius optimos libros, Curiae principiis adversantes, damnarent, eorumque lectionem clericis suis interdicerent, eosque punirent qui talibus

1) Invenitur hoc decretum in SCHLOZERI opere, cui titulus est: „*Briefwechsel*. B. IX. S. 162.” Latine in epitomen redactum in „*Bibliotheca Ecclesiastica Friburgensi*,” vol. VI. p. 260. Porro etiam in Diario, cui nomen est: „*der Freymüthige*, B. I. S. 116.” et in opere quod dicitur: „*Neueste Religionsbegebenheiten*, Jahrg. V. S. 737.” Vir. cl. WALCHIUS distinxit in tres partes fontes, e quibus mandata illa peti possunt. Sunt vel mandata Imperatoris ipsius, vel Archiepiscoporum et Episcoporum qui sociis suarum dioecesium decreta illa mandabant, vel opera privata de iis iudicium ferentia. Imperatoris ipsius mandata inveniri indicat sequentibus in operibus: 1^o in „*Nova Bibliotheca Ecclesiastica Friburgensi*” et quidem vol. 1^o fascie. 1^o. 2^o in „*Schlözers Briefwechsel*. 9^{te} und 10^{te} Band.” 3^o in „*Staatsanzeigen*, Erste Band.” 4^o in „*Actis Historicis Ecclesiasticis novissimi temporis*” tomo 7^o. 5^o in „*Neueste Religionsbegebenheiten*, 4^{te} und 5^{te} Jahrgang.” 6^o in „*der Freymüthige*, der Erste Band.” 7^o in „*die Toleranzbibliothek für die Oesterreichischen Staaten*, das Erste Stück.” Commemorat deinde auctor se accepisse ab Abbate STEPHANO VON RAUENSTRAUCH, Imperatoris reformationibus addicto, collectionem Josephi mandatorum religionem spectantium, et quidem a mense Decembri anni 1780ⁱ usque ad mensem Jun. anni 1782ⁱ, numero quidem LXVIII^o. WALCHIUS tamen in sua expositione seriem chronologicam non sequitur, contra vero rerum ordinem ante oculos habet. Ab Abbate supra allato dividendi rationem accipiens, primo capite agit: De Imperatoris mandatis, quae spectant ad tolerantiam; secundo vero: De iis quae spectant ad Romano-Catholicae Ecclesiae socios, de quibus nunc in universum agimus,

mandatis non obedirent. Imperatoris decreto constitutum est: librorum censuram Vindobonae peractam normam fore Episcopis, qui nullum librum rejicere possent, ab ea comprobatum. 1) Sponte autem intelligitur, propriam auctoritatem de laicis etiam fuisse penes cum cujus legibus Episcopi obedire debebant; adeoque quoniam Imperator clericis obedientiam mandaverat, hunc quoque revera summum fuisse Episcopum. 2) Jusjurandum quod, auctoribus Jesuitis et Franciscanis, in Academiis, petebatur ab omnibus juris-prudentiae et medicinae disciplinam colentibus, quod Protestantibus summo impedimento fuerat, abrogabatur. 3) Quod ad institutionem futurorum religionis ministrorum attinet, non amplius iis licebat adire externas Theologiae scholas, vel Italicas vel Romano-Germanicas, ubi plerumque degebant doctores si non Jesuitarum, saltem Curialistarum partes sequentes. 4) Die 10^o mensis Nov. anni 1781ⁱ hoc statuto, simul mandatum illud ad regiones Italicas extendebatur; insuper pollicitus est Im-

1) WALCHIUS, l. l. pag. 123. decretum illud quidem non male dicit sepulchrum Jesuitarum ordinis in civitatibus hereditariis regni Austriaci. Non minus vero adversabatur Jesuitis hoc statutum, quod Imperator prodiit die 10^o mensis Aug. anni 1781ⁱ, quo populo concedebatur usus liber S. Scripturae aliorumque librorum utilium.

2) Ut commemorat CARACCIOLI, l. l. Imperator dignitatem revera sibi sumpserat, ut ita dicitur, „*l'Evêque du dehors*,“ ut jura sua contra Papam defenderet.

3) „Me velle publice ac privatim pie tenere et adserere, beatissimam virginem Mariam, Dei genitricem, absque originalis peccati macula conceptam esse, donec aliter a Sede Apostolica definitum fuerit.“

4) Quid Febronius hac in re censuerit, jam vidimus, exponentes sermonem ejus ad „Doctores Theologiae et Juris Canonici“ in Praefatione ejus operis, qui legitur pag. 48. sqq. nostrae Dissertationis.

perator talem in suis Italiae regionibus institutionem, qua iisdem conditionibus ac Romae pauperes inter eos degere possent; sic autem voluit et constituit, ut Curiae principia minus minusve spargerentur. Addere possemus decreta de futuros ministros examinandi modo ac ratione, ut etiam de aetate, qua sacerdotis munus adipisci poterant, sed magis etiam hic in censum veniunt, quae spectant ad consuetudinem cum aula Romana.

Haec in tres classes dividi possunt, vel quae spectent ad jura principum, vel ad ea Episcoporum, vel ad aliorum cum aula Romana commercium. Et quidem in primo ordine die 26^o mensis Martii anni 1781ⁱ ab Imperatore mandabatur, omnes bullas et brevvia papalia, quippe quae arcte cohaereant cum salute publica, non prodire debere sine *Placito Regio* vel formula *Exsequatur*. Huc referri debebant omnia mandata papalia, in forma *bullae, brevis, decreti, constitutionis*, quaecumque demum composita; porro *collationes beneficiorum, pensionum, honorum, potestatis, aut jurium pro personis singularibus*. Idem valebat de omnibus rebus *in materia dogmatica, ecclesiastica aut disciplinari*.¹⁾ Quod attinet ad Episco-

1) *Placitum* hocce *Regium*, quod hic memoratur, diu valuisse in aliis Catholicis civitatibus, Francia, Hispania et regno Neapolitano notissimum est, quo revera potestas, quam sibi tribuere vult aula Romana valde minuta est. Legitur, memoratis etiam omnibus formulis, quae in eo adhibendae erant in SCHLOZERI opere, cui titulus est: „*Briefwechsel*, B. VIII. S. 357.” in „*Actis Hist. Eccl. novissimi temporis*,” Tomo VII^o pag. 567. et in opere cui nomen est: „*Neueste Religionsbegebenheiten*, 4te *Jahrgang*, S. 747.” Brevis epitome exstat in „*Bibl. Eccl. Friburg.*” vol. VI^o p. 258. — Febronius de *Placito* illo *Regio* statuerat, jus et usum illius esse universalem (p. 740, 812). Pertinere illud ad jus gentium (p. 813.) Ei a Principe non posse renuntiare (p. 742).

pos, quorum jura a sede Romana valde minuta erant, civitati eo majori damno, quo majoris pecuniarum summae „Camerae, ut dicebatur, Apostolicae” solvebantur¹⁾; de iis valebat decretum quod prodiit die 1^o mensis Sept. anni 1781ⁱ. *Litterae Apostolicae*, quas recens electi accipiebant, *Placito Regio* subiciebantur. Jusjurandum, quod jurare debebant Episcopi²⁾, congruere debebat cum genuino ac vero sensu *Professionis obedientiae Canonicae*, neque ullo modo directe vel indirecte oppositum esse poterat juribus civitatis principis vel sociorum officiis. Aliud etiam jusjurandum jurare debebant civitatis principi, duobus consiliariis ordine perfectissimis adstantibus.³⁾

Aliud decretum in Episcoporum causa in lucem prodiit die 14^o mensis Aprilis anni 1781ⁱ, quo Ordinarius a sede papali *concessa facultas dispensandi et absolvendi*, etiam *a casibus reservatis in Bulla Coenae* denegabatur, quum *facultas absolvendi, obligationem observantiae ex receptione* supponat, quae mera praerogativa sit. Mandatum diei 4ⁱ mensis Sept. anni 1781ⁱ dispensationes in rebus conjugalibus ab aula papali ad Episcopos transferebat, quia jure proprio ad eos pertinebant. Etiam

1) Hoc etiam exposuerat Febronius agens de „*Annatis*” pag. 569, praecipue pag. 578, 580.

2) Exposuerat etiam Febronius Romam ab Episcopis noxia exigere jusjuranda (pag. 477, 683). — De iis etiam questi sunt Imperatores Ferdinandus I. et Maximilianus II. in „*Elencho abusuum, corruptelarum etc. in Ecclesia Romana.*”

3) Dein vero mutatio quaedam facta est in decreto illo, quum staretur jusjurandum illud e formula in Francia in usu mutandum esse; nunquam vero adhibitum fuit. Invenitur imprimis in SCHLOZERI opere, cui titulus est: „*Briefwechsel*, B. X. S. 46.”

exponcbatur, hanc rem modo pertinere ad disciplinam externam Ecclesiae, „quae mutari possit data occasione.” Gravissimae statuebantur poenae in eos qui recurrerent ad Romam vel ad nunciaturas in publicis vel notis „impedimentis canonicis,” quum simul actus illegitimus esset. Denique haec valerent omnibus civitatis sociis. 1) Decretum diei 21ⁱ mensis Aug. anni 1781ⁱ occurrit conatibus aulae Romanae, titulorum et dignitatum donationibus externae civitatis socios sibi comparandi, quum nemo eas petere, accipere vel habere posset, nisi e consensu illius qui civitati praeerat. 2)

Numerus Protonotariorum et Notariorum in regionibus Catholicis non parvus erat, et multum eorum potestas valebat; ne tamen externa auctoritas in regno suo adesset, 3) Imperator Josephus die 25^o mensis Oct. anni 1781ⁱ edidit decretum, quo omnia eorum acta vana et irrita

1) Legitur in SCHLOZERI opere, cui titulus est: „*Briefwechsel*, B. X. S. 48,” in opere quod dicitur: „*Neueste Religionsbegeh. Fünfter Jahrgang*. S. 28.” et in „*Actis Hist. Eccl. noviss. temporis*,” Tomo 7. p. 881. — Etiam ab Episcopis oppositionem quandam provenisse, exemplum praebent Episcopi Ungariae, qui a Papa quum Vindobonae adesset, rogaverint, quomodo agere deberent in iis quae Imperator jusserat; quae vero consilia ut etiam responsiones a Pio VI^o datae, leguntur in opere saepius laudato cui titulus est: „*Der Freymüthige*, B. I. S. 559.” — CARACCIOLI l. l. pag. 110. commemorat Episcopos dispensationum jura Papae plerumque mandasse, ut familiae magis extenderentur dispensationibus illis non saepius adhibitis.

Quaenam Jura Episcopis competant indicaverat Febronius, p. 319, 553, 583.

2) De quibus egerat F. in oratione sua „*ad Episcopos Ecclesiae Catholicae*,” cf. pag. 48. n. 2a nostrae Dissert.

3) Febronius sententiam suam de iis protulerat pag. 139, 141, 142 et 557 sui libri.

dicebantur, nisi muneris Proto- et Notariatus affirmationem a potestate seculari petiissent. Tandem die 1^o mensis Jan. anni 1782¹ statuebatur in futurum Notarios Apostolicos sublatum iri, quum tali officio *Placitum Regium* non amplius ederetur. ¹⁾ Jam vero ut bene cognoscatur, quantopere Febronii liber valuerit ad ejusmodi edicta provocanda, hunc ipsum inspicere sufficiet iis locis, quibus de his argumentis egit.

Monachorum etiam institutis non pepercerunt Imperatoris reformationes. Multa prodierunt mandata, quibus magna eorum pars tollebatur. Praecipue in Germania plurimi questi erant de damno, quod monachi afferebant cum ecclesiae tum civitati. ²⁾ Prorsus tollere monachismum valde erat difficile, quum non solum aula Romana ad servandam suam dignitatem eo egebat, sed etiam doctrina dogmatica et moralis Romanae-Catholicae Ecclesiae monachis admodum favebat. Quid igitur erat faciendum? Josephus eos monachorum ordines tolli jussit, civitati civibusque inutiles et infructuosos. Illi vero ordines, qui

1) Cf. etiam quod scripsit SCHRÖCKH. l. l. pag. 679—682. de Imperatoris Josephi decretis quae illos spectant clericos, quos vocat auctor, ut eos a monachis distingueret: „*Weltgeistlichen*.” Quod clericorum coelibatum attinet, commemorat idem auctor l. l. pag. 690.: Imperatorem mandasse concilio, quod instituerat ad res religionis curandas, ut eum etiam tollerent, quod tamen non perfecit; quatenam fuerit causa, non constat: certe quidem res est gravissima, atque auctori concedendum est scribenti pag. 692.: „Mann kann wohl sagen, das unter allen Reformationen, welche den Römisch-Katholischen Clerus treffen möchten, dieses die allerletzte seyn dürfte.” — Summas adesse difficultates clericos a consuetudine cum aula Romana divellendi, gravissimae lites in provinciis Belgicis exemplum luculentissimum praebent.

2) Cf. Febr. pag. 470.

non tollebantur, novam acciperent institutionem, qua majora commoda et societati et Ecclesiae orirentur. Parum nobis prodesset seorsim commemorare, quosnam ordines, quibusve decretis, Imperator tolli jusserit; aliud enim nobis proposuimus quam enarrare fata Romano-Catholicae Ecclesiae in regno Austriaco vel exponere Imperatoris Josephi reformationes. Hoc si nobis propositum esset, longe plura hisce forent addenda. Sufficiat memorare, Imperatoris edictum diei 30ⁱ mensis Nov. anni 1781ⁱ eorum ordines tolli jussisse, qui, ut vulgo dicitur, vitam contemplativam agerent. ¹⁾ Quod minime est negligendum, accurate statuebatur die 28^o Febr. aⁱ 1782ⁱ, ut reditus ex illorum ordinum possessionibus, quae e sacris profanae factae erant, modo in religionis causam et usum adhibendi essent, ²⁾ exceptis etiam Annatis, quae sociis or-

1) Commemorat Caraccioli l. l. pag. 136., in ipsa Austria triginta et duo monasteria sublata esse. Mailáth l. l. pag. 145. dicit, per totum regnum numerum fuisse 700am, quum 36000 monachi, tam viri quam mulieres, ea relinquere debrent; attamen SCHLOSSERUS exposuit l. l. pag. 267, superfuisse 324 cum 27000 incolis. SCHLOSSERUS. l. l. Tom. IV^o pag. 262^a sqq. de his imprimis monasteriorum reformationibus agens, viros illustrissimos commemorat, qui Imperatori magnopere auxiliabantur, papispum modo, monachismum, jesuitismum et fanaticismum rejicientes, minime vero doctrinam propriam Catholicam aggredientes. Cf. etiam de reformatione illa monachorum ordinum SCHNÖCKH. l. l. VI. s. 664—673.

2) SCHLOSSERUS, l. l. pag. 263. negat omnino reditus illos, suadente Imperatore, ad alios usus adhibitos fuisse, quam ad ea quae spectant ad religionem, v. e. ad struendas aedes sacras etc.; minime tamen probans quod multa bona ecclesiastica vendiderit infra eorum valorem. Semper revera dicebat Josephus, se modo res externas Ecclesiae velle curare, quod etiam Pius VI. credidisse videtur, tamen e litteris scriptis mense Oct. anni 1781ⁱ ad Cardinalem Herzan patet, de utrarumque rerum conjunctione ipsi fuisse persuasum.

dinum sublatorum per totam eorum vitam solvendae essent, si nempe deposuissent vestem ordinis votaue sua. ¹⁾

Pervenimus ad ea Imperatoris mandata, quae spectant ad monachorum ordines quos tolli non jusserat. Summum omnino damnum illi ordines afferebant civitati, in majus auctis suis possessionibus, quocirca in decreto, quod apparuit die 17^o mensis Dec. anni 1780ⁱ, statuebatur, nullum novitium vel ordinis socium, qui antequam vota sua faceret testamentum componere vellet, ordini vel monasterio majorem summam quam 1500 florenorum afferre posse. Si vellet, posset partem hujus summae *ad pios usus* destinare, quod tamen summam illam excederet non posset. Accessit aliud quid, cur ordines illi monachorum gravissima damna inferre possent civitati. Multis arctisque vinculis conjuncti erant cum ordinis sui Capite ac principe plerumque Romae degente, nec minus cum extraneis monasteriis. ²⁾ Neque civitatis Principi, neque

1) SCHLOSSERUS l. l. pag. 266. omnino Josephum laudat ob studia conditionem moralem et politicam regni renovandi, quum possessionibus monasteriorum minime abusus sit, non ea primum tolli jubens, quae multas habebant possessiones, talia vero quae fere nil possidebant, inde vero incolis summo erant damno. Quibus addit, Imperatorem in his minime comparari posse cum Henrico VIII^o Angliae, aliisque Principibus.

2) CARACCIOLI l. l. pag. 58. commemorat, multos monachos toto animo huic mandato addictos fuisse, qui capiti peregrino subjecti esse volebant. — Eodem tempore, quo haec decreta prodierunt monachorum ordines spectantia, multa de iis scripta edita sunt, in quorum numero memoranda sunt alterum EYBELII, doctoris peritissimi Juris Canonici (*Sieben Capitel von Klosterleuten, Wien, 1782. 8.*) et alterum cui titulus erat: „*Neueste Naturgeschichte des Monchthums, beschrieben im Geiste der Linnaischen Sammlungen.*“ a^o 1783. 8., auctorem habens celeberrimum naturalistam VON BORN. Invenitur in „*Allgem. Deutsche Bi-*

Episcopis, (si exemptionem habebant) subjecti erant, sed suo duci ac principi, qui Generalis nomine atque muneribus fungebatur. Hisce finem imponere voluit Imperator decreto suo, a die 24^o mensis Martii anni 1781. *Nexus*, ut dicebatur, *passivus* cedere debuit, excepto *quoad suffragia* et *preces*, id est nexus ille cum externis provinciis et monasteriis. Nexus cum duce externo prorsus tollebatur, *quoad spiritualia et disciplinaria interna*, multo magis *quoad temporalia*; quum ordinis socii redirent ad Archiepiscoporum atque Episcoporum regimen. Loco extraneorum *visitatorum*, munere illo visitationis interni, qui dicebantur, *Patres Provinciae* functuri erant. Ordinis sociis Romam externasve regiones adire, ibique degere non amplius licebat. Libros liturgicos, vel ad disciplinarem institutionem spectantes, ex aliis civitatibus accipere vetitum erat, uti etiam pecuniarum largitiones. Quum numerus monachorum cum caeteris incolis minime congruus haberetur, decreto, publicato die 28^o mensis Maji aⁱ 1781, hic numerus definiebatur quem excedere non licebat. Fere eodem tempore Austriacae civitatis subjectis interdictum fuit, ne in externa monasteria transirent. Ut vero ordinum numerus sensim sensimque decresceret, et summos fructus ab iis societas acceptura erat, examinandi ratio instituebatur monachis, mandata Episcopis, nulla habita ratione nonnullarum exemptionum, quum Episcopis *jure ordinario* de

Bibliothek, LVI. Band, S. 600 fg. — Si quaeritur num talis sublatio justa sit habenda, cui sententiae etiam Protestantes saepius sese opposuerunt, plurima, ut indicavit SCHRÖCKH. l. l. p. 674, 675. afferri possunt, quibus tale quid defendi possit.

omnibus clericis regimen mandatum jam erat. ¹⁾ Examen illud eo tendebat, ut viri eruditissimi et aptissimi Ecclesiae officio informarentur. Quod vero summi erat momenti atque majora damna ab Ecclesia avertere posset, die 7^o mensis Maji anni 1781¹ Imperator decrevit, ut ita dictae missiones, quibus monachi regionem circumibant, ut praedicationis munere aliisque officiis clericorum fungerentur, prorsus tollerentur, ²⁾ quorum loco cooperatores vel vicarii instituendi erant. Multis abusibus, qui ad illud usque tempus in monasteriis viguerant, Josephus suis institutionibus obvenit; v. c. ut nullas pecunias missales e civitatibus hereditariis regni Austriaci educi liceret, poena constituta sublationis talis monasterii. ³⁾ Quum vero pecuniarum collectiones, monachis in regno ipso degentibus concessae, accurate statutae atque definitae essent, ita quidem, ut sensim sensimque finis iis imponeretur, gravissimae poenae indicebantur iis collectoribus qui aliunde venirent, uti et clericis vel monasteriis, qui iis auxilium praeberent.

Haec sunt praecipua Imperatoris decreta, quae spectant ad religionem vel res ecclesiasticas. Licet Imperatoris reformationes in rebus ecclesiasticis fere unice ob oculos

1) Fusius egit Febronius de Regularium exemptionibus, quas perstrinxit, contendens eos originali et genuino jure Episcopis esse subjectos, (p. 601.) raras praeis temporibus fuisse illas exemptiones, (p. 614.) maxima iis concessa privilegia, clero seculari in praesudicium fuisse (p. 598, 467, 539.) — Porro etiam p. 605, sqq. 610, 614 sqq. 616, 619 sqq. 622 et pluribus locis.

2) Cf. Febronii liber p. 589, 590, 591, 592 sqq.

3) Scilicet, quum omnia officia a clericis ipsis peragi non possent, extraneis monasteriis talia mandabantur.

habeamus, inde vero colligamus, quatenus in iis systema Febronianum se prodat, nonnulla tamen, quae arcte cum hisce cohaerent, non prorsus sunt negligenda; quae igitur breviter huc commemorare lubet.

Ex-Jesuitae, (ut ordine sublato vocari solebant), nomine atque dignitate usi sunt Clementis Wenceslai Archiepiscopi Trevirensis et Episcopi Augsburgensis, qui sigillo suo affirmavit epistolam, non a se, sed ab abbate quodam, cui nomen erat Beck, scriptam, mense Junii anni 1781ⁱ. In hac Epistola tolerantiae edicta et potestas tributa collegio censurali Vindobonensi, cui Episcopi ipsi subjecti essent, quum tantummodo tales libri ab iis prohiberi possent, quales ipsum collegium rejecerat, admodum molesta atque intolerabilia dicebantur. Imperator quum ei responderet, non satis dignitati suae prospexit et consuluit, ironiae cuidam indulgens, et quum ad finem mensis Novembris alteram epistolam acciperet in qua aeternarum poenarum minae, acerrimas rursus ad eum litteras misit. Etiam minores clerici aliive Imperatoris studiis faventes plura et gravia quidem pati debebant, ut allato exemplo monet Schlosserus. ¹⁾ Eodem tempore Archiepiscopus Vindobonensis strenue sese opponebat Imperatori, valde offensus quia Episcopatu quodam privatus fuerat. De itinere quod Papa Vindobonam suscepit, multis verbis hic agere, nil attinet, quum et satis notum sit et nil effecerit; e contrario omnia immutata manserunt quae instituerat Josephus. Quum Pius Romam rursus reversus esset, non a suo proposito Imperator abduci se passus est; contra vero, quamquam jure insti-

1) Cf. I. I. pag. 266. in nota.

tuendi Episcopos in regno Lombardico, tamquam dono S. Pontificem ornaverat pro tota ejus vita, Episcopos nominabat in regionibus Mediolano atque Mantuae adjacentibus, nulla Papae habita ratione. Quum autem Papa Archiepiscopum Mediolanensem, quem instituerat Josephus, agnoscere recusaret, Imperator minas adhibuit, se renaturum esse usum antiquum, qui diu in regno Lombardico valuerat, scilicet: convocatis Episcopis Archiepiscopum illum instituendi. Ceteras lites quas habuit cum Summo Pontifice, atque bullas quae ab hoc Vindibonam missae sunt, missum faciamus. Uti ex Historia novimus, brevi lites illae eo pervenerunt, ut parum abesset quin Josephus omnibus id agere videretur, ut statum ecclesiasticum, in omnibus civitatibus ac regionibus ditioni suae subjectis, prorsus a Roma divelleret; quod tamen non fecit. Varias sententias de Josephi IIⁱ hac in re agendi ratione prolatae sunt, ¹⁾ quarum maxime illa mihi placet, qui eam optime cognosci ac perspicui posse putet e sermone, quem habuit Imperator Romae mense Dec. anni 1785ⁱ cum Azara, qui ibi curabat res ecclesiasticas Hispaniae. Illic ei persuasit, aristocratiam, cui Josephus semper sese

1) SCHLOSSERUS. l. l. pag. 271, 272. nonnullas commemorat. Dicit Josepho ipsi non satis constituisse vel in aperto fuisse, quaenam principia sequeretur quod cultum attinet et externam religionis institutionem. Ipse omnino contendit, se doctrinam et ritus Ecclesiae magni facere; ex odio tamen, quo habebat Fredericum Magnum atque philosophos franco-gallicos, melius explicari potest, Imperatorem eorum partes minime secutum esse. — Rejicienda autem videtur opinio, eum in reformationum causa non ulterius processisse, quoniam intellexerat, abbatem quendam, nomine Ciofani, qui Jesuitis clam praecerat, suadente Frederico Magno litibus illis cum Papa favere, ut ita consiliis Imperatoris politicis magnum impedimentum objiceret.

opponebat, inde majorem vim accepturam esse, si hierarchia prorsus penes Episcopos esset; atque diminutionem hierarchiae papalis minime congruere cum autocratia atque auctoritate absoluta quam sibi vindicaret Imperator. ¹⁾ Constat etiam, intellexisse Josephum se omnino egero Papae auxilio, ut in pacem redire posset cum Episcopis Ungaricis, qui valde cum in odio habentes, populum in diem adversus eum incitabant. Ceterum Imperatorem, licet actiones suas mutaverit vel mitigaverit, sententias ipsas suas minime mutasse, inde effici potest, quod anno adhuc 1785^o pro certe enuntiavit: nuntium papalem modo habendum esse legatum secularis Principis, cui nulla jurisdictio in suo imperio competeret.

Reformationis ejus studio gravissimas querelas litesque in provinciis Belgicis ortas esse, quae ad summum pervenerunt fastigium instituto collegio philosophico sive seminario Imperatorio Lovaniae, omnibus Historiae haud prorsus ignaris satis cognitum est, quocirca id verbulo tantum attigisse atque in memoriam revocasse sufficiat.

Si quis quaerit, quodnam pretium hisce Josephi Imperatoris reformationis conatibus sit statuendum, responsio, quae huic quaestioni dari possit et debeat, non statim in promptu est. Scriptores cum politici tum ecclesiastici, pro variis, quas ipsi sequuntur, partibus, diversum etiam judicium elocuti sunt. In universum autem hoc animadvertendum videtur, Imperatorem revera spectasse populi sui salutem, sed non meminisse, tales reformationes non effici in uno temporis spatio, contra vero sensim sensimque

1) Quibus MENZEL. l. l. VI. p. 141. addit: populorum fanaticum tale quid facile excitaturum fuisse.

populos eo ducendo, quo legislator sibi proposuerat. Neglexit quidem saepius formas, quod sibi ipsi et conatibus suis summo erat damno. Judicium quod de eo tulerunt auctores Romani Catholici, ei non magnae laudi fuisse non difficile erit intellectu. Historicus quoque qui Protestantium partibus est addictus, licet multo mitius ac aequius ejus sit judicium, nequaquam cuncta, quae hic Imperator percgit, verae sapientiae vel probitatis laude digna censebit. Quicumque autem attento animo Febronii librum ad finem usque perlegerit, hunc fugere non potest, quantum hic Imperator, in concipiendis ac peragendis suis propositis, huic auctori debuerit.

III. *De Leopoldi Tuscaniae Principis reformandi studiis.*¹⁾

Reformationis vota et proposita, quae Leopoldus in mente habuit, magna ex parte efficere conatus est inde ab anno 1780^o usque ad annum 1790^{mm}, in quibus consiliis ejus adjutor de Ricci, Episcopus Pistojae et Prati, primas egit partes. Etiam in Tuscania eo tempore, sc. anno 1765^o, quo Leopoldus frater Josephi II regnum

1) Cf. c. BROES. l. l. III. pag. 274—289. qua in parte sui operis praecipue vult indicare, reformationem Ecclesiae Romano-Catholicae a Principe operatam, plerumque ad tristissimum pervenisse finem; ejus rei argumenta exponit. — SCHLOSSERUS. l. l. pag. 276, 277. suam exposuit sententiam, reformationes illas, quas studuit Leopoldus, minime congruere cum Italicorum indole. — GIESELER. l. l. (§ 21) statuit eam ob causam illos reformandi conatus interiisse, quia Ricci Jansenistarum doctrinae addictus erat, Romae summo in odio.

accipiebat, Romanae aulae potestas, nullis fere finibus circumscripta, magnopere valebat. 1) Multa in hujus Principis laudem dici possunt, primo quidem loco populi institutionem ei valde cordi fuisse, quam ad bonum finem perducere se non posse sibi conscius erat, nisi ante Ecclesiam renovasset. Eodem tendebat de Ricci, cui fere totum regimen ecclesiasticum mandatum erat, implacabilis Jesuitarum ordinis uti et hierarchiae corruptae papalis adversarius. Nec mirum. Quod doctrinam ipsam spectat toto animo Jansenistarum placita amplexus erat; in politicis se patriam atque principem suum Romae favori praeferre satis superque ostendit. Multis muneribus ecclesiasticis functus, in fine vitae suae expertus est, quam difficile sit officia, talibus muneribus conjuncta, probe explere nec tamen studio Ecclesiae reformandi valedicere. Adversarii ejus non destiterunt ab eo persequendo, donec mors, quae anno 1810^o incidit, illum ab omnibus hostibus et terrestribus aerumnis liberavit. Enumerare omnes reformationes, quas susceperunt ille Episcopus cum Principe suo Leopoldo, lon-

1) Comparatione instituta inter reformandi studia fratrum amborum, negari nequit, Leopoldo magis sibi persuasum esse quid voluerit, itaque fortius processisse. — SCHRÖCKH. l. l. p. 508. de eo dicit: „Mit recht hat man ihn unter den Fürsten der neuern Zeiten den Wohlthätigsten Reformator genannt: denn er suchte die Nation erst zu belehren, ehe er reformirte.“

JOSEPHUS contra non semper ipse faciebat quod mandaverat; quum v. c. Archiepiscopo Vindobonensi Episcopatum quendam detraheret, ne unus pluribus praeesset, fratrem suum contra ornavit tot dignitatibus quot cumulare potuerat. (Cf. DE ST. PRIEST. l. l. pag. 173); contendens Concilium Tridentinum, *viris illustribus*, (ut explicuit Imperator filiis Principum), unionem plurium beneficiorum approbasse.

gum foret; ex iis autem, quae hîc sequuntur, satis
 luculenter apparebit, et hunc principem, aequè ac Jose-
 phum II^{um}, Febronii systema presse secutum esse. Pri-
 mum quod Leopoldus in animo habebat huc redibat, ut
 Episcoporum auctoritatem et dignitatem augetet. Sibi con-
 sciens erat quo magis illi Theologiae studium prosequen-
 rentur, eo minus valerent papalis potestas monachorumque
 autoritas; quam ob causam novam rationem examinandi
 futuros clericos instituit. Itidem clericis strenue manda-
 tum erat, ut populum, et inprimis juventutem, fidem
 docerent christianam. Exemptiones et privilegia monacho-
 rum ordinum abrogabantur, monachi ipsi Episcoporum
 regimini subiciebantur; dispensationes papales valore et
 pretio destituebantur. Quod spectat ad reformationem
 Ecclesiae internam, eam institui volebat Princeps a suis
 Episcopis ipsis, quibuscum anno 1786^o reformationis
 consilium communicavit, ut sententias suas de eo pro-
 ferrent. Praecipua quae hoc continebat huc redeunt: in
 unaquaque dioecesi altero quoque anno synodos congrega-
 tum iri, quae impulsu darent ad reformationes quas
 sibi proposuerat Leopoldus. Ad eas fore ut pertinerent
 librorum liturgicorum totiusque cultus nova institutio,
 genuinorum jurium episcopalium restitutio, ratione ha-
 bita usurpationum papalium. Institucendo vero postea
 Concilio Nationali, ulterius progrediens ac frater suus
 Josephus, Febronii systema tamquam pedetentim se-
 cutus esse videtur. Princeps enim Leopoldus, quo
 melius quod sibi proposuerat perficere posset, Episcopis
 suis persuasit, ut primum institutiones suas in particu-
 laribus synodis, dein vero in majori concione, cui omnes
 adessent, perscrutarentur; quo facto magnum Concilium

Nationale haberetur. ¹⁾ Aula Romana, Jesuitae, Archiepiscopus Florentinus, cui nomen erat de Martini, Pisae illi et Sienae, uti etiam administer Seratti, omnes Ultramontanorum sententiis faventes, tale quid magnopere improbabant et damnabant. Synodus Pistojae habita, cui de Ricci ipse praeerat, Leopoldi voluntati morem gessit; non vero aliae. ²⁾ Congregato universo Concilio Pistojae serii tumultus oriebantur. Litibus hisce compositis, magis magisque luce clarius redditum est, magnam synodum non eodem reformandi studio imbutum esse; Leopoldus ipse in se susceperat regulam proponere Ecclesiae suae civitatis, quam Riccium compositurum esse volebat. Quum tamen hic illam perfecisset, non cessarunt lites, sed acceverunt. Acta Synodi Pistojae in lucem prodita, nil continere videbantur, quo aures Catholicorum offendi possent; ne Romae quidem rejiciebantur. Optima erat spes, fore ut Ecclesia Tuscana inde optimos fructus acciperet. Mortuo vero Josepho II^o, cui suc-

1) Quae docuerat Febronius esse medium compellendi Pontificem ad convocandum Concilium Generale. (p. 710, 715.)

2) G. J. FLANCK, „*Neueste Religionsgeschichte*. Th. I. S. 263—306,“ de haecce egit Synodo et Th. II. S. 227—316. de synodis Pistojae et Florentiae; cui enarrationi addidit: „*Pastoral-Instruktion des Bischofs von Chiusi und Pienza, und dessen Briefwechsel darüber mit dem Pabst*“ quod mandatum, prodicens anno 1786^o mense Aprilis, Jansenistarum systema strenue defendebat, et etiam Romam missum fuit. (S. 319—380). Pag. 380—394 occurrunt epistolae Episcopi ad Papam, illiusque Brevia. Pag. 264—289 Tomi II legitur etiam „*Das Reglement für die Toskanische Geistlichkeit von dem Groszherzog eigenhändig aufgesetzt, und als Circulare an alle Bischöfe des Groszherzogthums geschickt*,“ quod in epitomen redactum adest etiam in opere cui titulus: „*Nouvelles Ecclésiastiques*“ et quidem diei 4ⁱ mensis Septembr. aⁱ 1786i. — Propositiones illae Pistojae, ut dicuntur, numero crant 57.

cedere debuit Leopoldus ipse, res prorsus mutatae sunt. Accesserunt vehementissimi in Francia orti tumultus, e quibus sorori Principis tristissimum accidit fatum; nec minus lites in provinciis Austriacis et Belgicis, quae omnia effecerunt, ut in Tuscania novus rerum ordo non introductus sit. Adversarii contra nil praetermiserunt, ut omnia quae olim in usu erant restituerentur; nec frustra, ut tristis rerum eventus docuit.

IV. Altero loco nobis inquirendum esse diximus, quosnam fructus Episcopi, quorum jura tam strenue Honthemius defenderat, ex illo systemate Febroniano perceperint. Plurimi Episcopi summis in Ecclesia et quidem in Imperio Germaniae muneribus fungentes, Imperatoris Josephi exemplum sequentes, saluberrimas mox reformationes instituerunt, ita probantes, quantopere novum regimen ecclesiasticum, ex Honthemii systemate ductum, valeret. Inprimis memorandi sunt Moguntinus, Trevirensis, Augsburgensis, Coloniensis, Salisburgensis aliique. De nonnullis eorum reformandi studiis breviter videamus.

Hieronimus Archiepiscopus Salisburgensis anno 1782° edidit litteras pastorales, ¹⁾ in quibus exposuit, quisnam sit verus Catholicismus, Scripturae Sacrae usum lingua Germanica, itidem homiliarum eadem lingua conscriptarum summopere probans. Princeps-Episcopus Wurzburgensis et Bambergensis, nomine Francisci Ludovici

1) Quae leguntur in SCHLÖZERI opere cui titulus: „*Staatsanzeige*. Band II. Heft V. S. 56.” sqq. Cf. MENZL. l. l. VI. S. 179, sqq. GIESELER. l. l. IV (ed. a viro doctissimo E. R. BEDEPENNING.) S. 153.

von Erthal, summam adhibuit curam in scholas, quum etiam pauperes non minus ei cordi essent. Quod spectat ad scholas, novae condebantur, earum director nominabatur, seminarium instituebatur, clericis mandabatur, ut unaquaque hebdomade scholas visitarent. Plurimis in casibus linguae Latinae Germanicam praetulit, simul in omnibus regiminis partibus talia instituens, quae populo suo prodesse possent. Simul vero omnibus suis muneribus sacerdotalibus fungens, nil omisit quod a summa dignitate ecclesiastica, qua ornatus erat, peti posset. Sanioribus sententiis populum suum imbuere conabatur, ipse praedicatoris munus suscipiens sacerdotisque officia peragens. Etiam Electores Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis, quamquam ipsi sacerdotis muneribus non fungebantur, tamen eandem viam ac rationem secuti sunt. Bibliothecae quidem ornabantur libris, a viris conscriptis Protestantium sacris addictis. In usum et commodum Universitatis Moguntinae tria monasteria subata sunt, nacta Bulla Papali qua hoc mandabatur; hac adhibita causa, quod multae doctrinae nefariae in Protestantium Academiis docebantur, quibus Catholica Universitas facile sic se opponere posset.¹⁾ Trevisis consiliarius Electoris-Archiepiscopi Clementis Wenceslai, nomine La Roche, qui litteras scripsit de monachismo, monasteriis eorumque incolis ingratisimas, res secula-

1) Elector ulterius progressus est, quam Papa certe exspectaverat, professores Protestantes in aula sua honoribus et favore prosequens, et quidem NICOLAO VOGTIO historiae cathedram mandans, auctori operis cui titulus: „*Grund- und Aufriß der Christlich-Germanischen Kirchen- und Staatsgebäudes im Mittelalter, aus unwerflichen Urkunden und Zeugnissen dargestellt.* Bonn 1828.“

res curabat. Archiducem Coloniensem Maximilianum Franciscum, Josephi IIⁱ fratris sui exemplum secutum, atque summopere conatum esse in Academiam, quae Bonae erat, easdem sententias inducere, facile intelligitur ex tota illius principis indole.

Attamen non semper quiete illa fruebantur summi Germaniae Praesules; nova conditio, novum regimen ecclesiasticum non eandem viam consecutum est, qua eo usque processerat. Exarserunt enim mox gravissimae lites in Germania ipsa, quatuor praecipuos Archiepiscopos inter et Papam, in quibus novarum opinionum vim atque efficaciam non agnoscere non possumus. Harum litium auctores exstiterunt nuntii quos Papa, initio anni 1786ⁱ, miserat in Bavariam et Coloniam, juribus detrahentes Archiepiscoporum, quum in eorum dioecesis jurisdictionem papalem restituere vellent. ¹⁾ Nuntius Monaccensis, nomine Zoglio, ab Electore Carolo Theodoro lubentissime accipiebatur, summisque honoribus ornabatur; sed Coloniensis, cui nomen erat Pacca, minus felicem habebat eventum. Quatuor illi Archiepiscopi erant Moguntinus, Germaniae Primatis muneribus fungens, Salisburgensis, ²⁾ Coloniensis, qui ut supra jam commemoravimus, erat frater Josephi IIⁱ, Archidux sc.: Maxi-

1) GIESELER. I. I. (§ 20. „Beschwerden der Deutschen Erzbischofe gegen den Pabst und ihre Punctation zu Ems“) exponit *Facultates*, ut dicuntur, *Quinquennales* a Papa Archiepiscopis concessas, quibus nonnullis in casibus dispensationes dare possent, etiam effecisse, ut intelligerent, quomodo sua jura diminuta essent.

2) HIERONYMUS a COLLOREDO, summopere Ecclesiae reformandae studiis addictus, qui anno 1782^o litteras pastorales ediderat, in quibus verae pietati favere magnopere conatus est.

milianus et Trevirensis; 1) hi minime sinere volebant ut jus ecclesiasticum Germaniae violaretur. Ad Imperatorem ipsum mox confugerunt, qui omnino iis favere videbatur, quo facto decretum edidit, quo nuntiorum illa jurisdictio prorsus tollebatur; sed jam statim Archiepiscopi experientia edocti sunt, clerum Romanum magis sibi

1) Quae leguntur apud MENZEL, l. l. pag. 184. certe non sunt in honorem et laudem indolis Archiepiscopi Clementis Wenceslai, de quo in Honthemii causa, jam plura monuimus: „Während Zoglio in München glänzende Aufnahme erhielt, wurde dem Monsignore Pacea nach seiner Ankunft in Cöln von dem Kurfürsten-Erzbischofe Maximilian Franz der Zutritt in dessen Residenz Bonn verweigert, wofern er nicht vorher auf Ausübung jedweder geistlichen Gerichtsbarkeit verzichte, und vom Kurfürsten Clemens Wenceslaus von Trier ihm eröffnet, dasz, da es den Keiser beliebt habe, jede Jurisdictionsgewalt der Nuncien von den Reichsgrenzen abzuwehren, die Pflicht des Gehorsams den Reichsfürsten gebiete, diesem Gebote, welches aller Nunciatur-Gerichtsbarkeit ein Ende mache, Folge zu leisten, wonach er den Nuncius zu ersuchen habe, auch in den noch anhängigen Rechtssachen nichts Ferneres zu beschliessen und die bei ihm befindlichen Acten binnen vier Wochen zurückgeben zu lassen. — Wenn man sich erinnerte, dasz derselbe Kurfürst-Erzbischof einige Jahre vorher seinen Weichbisschof Hontheim zum Widerruf des Febronius bestimmt und dem Kaiser dringende Vorhaltungen gegen die kirchlichen Neuerungen in den Erbstaaten gemacht hatte, so konnte freilich die Bereitwilligkeit, mit welcher er jetzt ein einfaches, vom Kaiser gegen die Gewalt der Nuncien erlassenes Antwortschreiben als *ein Gesetz* bezeichnete, welchem er nach der *dem Reichsfürsten obliegenden Pflicht des Gehorsams* Folge zu leisten habe, kein sonderliches Vertrauen weder in die Festigkeit seiner Entschliessungen, noch in die Aufrichtigkeit seiner Erklärungen erwecken.“ Idem Clemens Wenceslaus anno 1769^o, suadente Honthemio, etiam gravaminibus trium Archiepiscoporum contra Sedem Papalem ad Imperatorem subscripsit; dein vero, suadente Ex-Jesuita nomine Beck, sententias suas mutavit, Honthemium ad retractandum permovit et Josephi decretis sese opposuit.

ipsi prospicere, quam patriae atque Ecclesiae salutem ob oculos habere. Mox Episcopi ceteri sese conjunxerunt cum nuntiis, quod his novos addidit animos.¹⁾ In Archiepiscopatu Coloniensi vetuerunt dispensationes edi, nisi Papa concederet. Lites, ut sponte intelligitur, auctae sunt; nuntii mandatum non audiebatur, cui etiam administer von Kaunitz sese opposuerat. Jam in Germania non deerant, qui opiniones hierarchiae oppositas altâ vel submissâ voce ederent.

Non acquieverunt tamen Archiepiscopi illi, eo tendentes ut Germaniae Ecclesia iisdem juribus gauderet ac Franco-Galliae, ipsi competentibus e Concilii Basiliensis instituto. Cum autem se ad Imperatorem converterent, quaedam principiorum pugna non oriri non potuit, quum hujus autocratia cum oligarchia, quam defendebant Archiepiscopi, vix in concordiam redigi posset. Concilium Nationale cogi non poterat a Josepho, ob lites, quas in ipsius civitatibus, suo Ecclesiae reformativae studio, excitaverat. Accesserunt rationes politicae, Archiepiscopis illis plerumque non satis Imperatoris consiliis faventibus. Moguntinus vero accesserat ad foedus, quod instituerat Fredericus Magnus, ut Josepho sese opponeret.²⁾ Quid tunc fecerunt? Congregationem illam habuerunt anno 1786°, quae a loco quo convenerint Emseriana dicta est, in qua mandarunt doctis suis clericis et jurisconsultis aliud componendum jus ecclesiasti-

1) Quantopere Germaniae nocuerint nuntiaturae illae, imprimis cognosci potest e libro, cui titulus: „*Geschichte der päpstlichen Nuntien in Deutschland*“ conscripto a VON MOSER, in lucem edito Francofurti et Lipsiis, a° 1788°. II Tomi. 8°.

2) Cf. SCHLOSSERUS. III. p. 327.

cum, prorsus alienum a papali illo, quod Isidori Decretalibus falsis nitebatur. Pactum illud continens XXIII. articulos, ut notum est, nomen habet *Emserianae Punctionis*. 1) Omnes autem Episcopi, qui hujus concionis participes fuerant, duobus exceptis, Archiepiscoporum voluntati morem gerere vel se subicere recusabant. Imperator ipse, cui jam id temporis res Germaniae minus curae cordique erant, intelligebat se uti posse dissensione Papam inter et Archiepiscopos, se invicem tinentes, ad sua perficienda consilia. Archiepiscoporum itaque res in posterum differebat, iis suadens, (quum ab eo petissent Nationale Concilium, si Papa, duobus annis praeterlapsis, eorum jus ecclesiasticum non accepisset) concilium convocandi caeterorum Episcoporum et Principum secularium. Quum vero anno 1788° in magna Imperii Diëta (Reichstag) haec res agebatur, nil definitum est,

1) Papam agnoscebant Ecclesiae Primatem et *Centrum Unionis*; rejiciebant facultates quinquennales et nunciaturas; etc. — Cf. de Actis Emseriani Congressus: PAULUS, „*Die neuesten Grundlagen der Deutsch-Katholischen Kirchenverfassung*. Stuttgart. 1821.” HERZOG. *Real-Encycl.* ad vocem in articulo conscripto a Neudecker. — E. K. MÜNCH. „*Gesch. des Emser Congresses und seiner Punctate*.” — SCHRÖCKH. I. I. p. 504, sqq. „*Resultat des Emser Congresses, von den vier Deutschen Erzbischöfen unterzeichnet, sammt genehmigender Antwort Sr. Kais. Maj. in ächten Aktenstücken, Frankf. und Leipzig. 1787. 8.*” — In iisdem articulis etiam statuebatur, competere *Episcopis* ex instituto Christi *ligandi* atque *absolvendi potestatem*, *recursus Romam* non licere, *exempliones* cessasse, ut etiam monachorum conjunctio cum externis praesulibus; *Episcopis* denique potestatem plenam *dispensandi* atque *absolvendi* concessam esse.

PLANCK. I. I. fusiùs de hisce rebus egit et quidem T. I. p. 335—432, „*Neue Bewegungen der Deutschen Erzbischöfen gegen den Römischen Stuhl*.” — Commemorat pag. 330—403 *Punctionis Emserianae* regulas ipsas. — Et II. p. 397—484.

quum statneret regnum Bavariae, ut jus Principibus competens agnosceretur, in aulas suas nuntios recipiendi. Itaque, quamquam concedendum est, Ecclesiam Romano-Catholicam ex hisce summorum antistitum reformandi studiis non multa accepisse commoda, minime tamen negandum est, conatus illos probasse mutatam multorum cogitandi agendique rationem, qui ad id usque tempus indulserant Curiae Romanae postulationibus.

V. Aequè minus spernendum est, quod ab eo inde tempore, quo Febronii liber in lucem prodierit, multi *Juris Canonici Doctores*, illiusque studiis dediti, majorem sibi sumpserint audaciam proferendi ea quae in animo habebant, si ab eo ipso libro sententias illas saniores de potestate papali non acceperunt. ¹⁾ Eorum numero primus adscribendus videtur Josephus Valentinus Eybel, Canonici Juris Doctor Vindobonensis, cujus opus *Introductio in Jus Ecclesiasticum Catholicorum* editum annis 1778 et 1779, etiam Germanica versione translatum, satis cognitum est; in quo principia saniora exposuit, quam antea docebantur. In eo potestatem civilem ab ecclesiastica minime pendere statuit, non omnia pertinere ad religionem, certe quidem non ea quae civitati nocere videantur; quum revera Principi mandata sit cura, ne quid detrimenti capiat civitas ex ulla quadam Ecclesiae regula. Itidem docuit, decreta papalia non semper ligare, quum univcrsum Concilium ea tollere possit. ²⁾ In libello, quem cdi-

1) SCHRÖCKH. I. I. S. 555.

2) *Anhang zur Allgem. Deutschen Bibl. vom 37—52. S. 1140. fg. S. 1472. fg.*

dit anno 1782° quum Papa Vindobonam veniret, cives illius urbis docere studuit, quonam munere Papa proprie fungeretur. 1) In eo exposuit, unumquemque Episcopum Christi esse vicarium, Papae socium. S. Scripturae locos eodem modo ac Febronius, quem in universum sequi videtur, interpretatus est; etiam damna, quae Ecclesiae allata erant, praesertim falsis illis Isidori Decretalibus adscribens, rejicit prorsus Inquisitionis tribunal et monachorum ordinum studia. Episcopis tribuens jura, quae iis competunt, Primatum servari vult ad servandam unitatem in Ecclesia. Papa, ex ejus sententia, primus Episcoporum colendus est. Multi omnino ei sic statuenti assentiebantur; populi vero major pars, talia non recordans et Papae adspectu gaudens, parum curabat ea quae Eybelius docuerat. In alio scripto 2) dignitatem juraque Episcoporum exponit, quorum Christum primum fuisse vult, comparans titulum *Principis Apostolorum*, Petro concessum, cum eo Platonis *Principe Sapientium*; simul ostendens qua via, qua ratione antiqua illa jura Episcopi sibi vindicare possint.

Si quaeritur de aliis, qui eum, vel potius Febronium

1) „*Was ist der Pabst? Wien, 1782. 8°.*“ Cf. *Allg. Deutsche Bibl.* Band LI. S. 564. In titulo nomen suum indicari noluit, quum fortasse censeret se ita plura dicere posse. — Cf. l. l. S. 572. fg. „*Ueber die Ankunft Pius des VI. in Wien.*“ In judicio, quod de Eybelii libro profertur l. l. pag. 564 sq., legimus: melius fuisse, si non e Patrum ratiociniis potestatem papalem definivisset, sed ex Historia indicavisset, quomodo Primatus ortus sit, unde provenerit. Tale vero quid a viro Protestantium sacris addicto expectari licet, vix autem a Romano-Catholico quodam.

2) „*Was ist ein Bischof? Wien 1782.*“ Cf. *Allg. Deutsche Bibl.* Band LI. S. 567 fg.

secuti sint, commemorari possunt Theophorus Ries, Consiliarius Archiepiscopi Moguntini; Paulus Josua Riegger, Stephanus Rautenstrauch, Antonius Pehem et Antonius Pereira, natus ex urbe Ulisbona. ¹⁾

VI. Negari minime potest, sententias illas saniores ac liberaliores, quas continet laudatque Febronii opus, ipsi Romanae Ecclesiae nonnullos saltem, eosque salubres, fructus attulisse. ²⁾ Jam tempore Mariae Theresiae, iis vigentibus, multa, ut jam vidimus, mutata sunt, in Ecclesiae et vero Theologiae Romano-Catholicae magnam salutem; quod scriptores ipsi, illius Ecclesiae sacris addicti, non negarunt, licet plerique principia illa sua non faciant. ³⁾ Imperatricem Mariam Theresiam ipsam principiis illis magnopere fuisse, quae antea jam defenderat Ecclesia Gallicana, atque Honthemius sua vice accurate explicuerat et vindicaverat, auctor est inprimis vir quidam satis inclitus et notus, nostra patria ortus, medicinarum scientiae addictus, nomine van Swieten. Hic etiam effecit, ut Stephanus Rautenstrauch, Benedicti ordinis socius, Pragensis, Juris Canonici antiqui doctissimus ac peritissimus vindex, anno 1774^o nominaretur director Theologiae Facultatis Vindobonensis.

1) Cf. RITTER. I. I. S. 432. — ALZOG. I. I. S. 943. — MENZEL. I. I. S. 34.

2) Legimus apud GIESELERUM: *Lehrbuch der Kirchengeschichte*. Tomo IV^o (quem curavit vir doct. REDEPENNING) p. 152: „Diese (die Schrift des Weibischofs von Hontheim) „war es ganz eigentlich, welche die Deutschen Theologen aus ihrem Schlummer aufweckte und zu freimüthigen Forschungen ermunterte.“

3) Vir doctiss. ALZOG v. c. I. I. pag. 946. tali sensu scripsit.

Hic nova edidit statuta omnibus facultatibus theologicis Catholicis, quibus Theologiae studium melioribus ac sanioribus fundamentis exstruere sibi proposuerat. Nimirum, ut Theologiae studiosi per quinquennium suae scientiae operam darent; ut linguae orientales, praecipue vero Hebraïca, minime negligendae essent; ut ad priorem illum studii cursum pertinerent etiam Historiae Ecclesiae, Hermeneutices et Exegesis doctrinae; ad alterum vero Theologiae Dogmaticae et Practicae, uti etiam Juris Canonici studia. Revera agnoscendum est, mox, mortuo Josepho II^o, fere omnia illa in priorem infelicemque suum statum rediisse, saltem quod ad Austriam attinet; manserunt tamen luminis radii, qui Ecclesiae Catholicae nunquam defuerunt, quamquam jam dudum in nonnullis civitatibus Catholicis ea praeterierant, quae statuerant sectatores principiorum ab Honthemio in opere suo expositorum.

Si vero quaeritur, quosnam fructus Theologia Romano-Catholica ipsa acceperit ex illis reformandi studiis, certe quidem novum ex eo inde tempore nobis exhibet adspectum. Coloniae, ubi Archiepiscopi et Electoris dignitate gaudebat Maximilianus, Josephi IIⁱ frater, Juri Canonico multi strenue operam dederunt, ut Hedderichius, ita etiam Exegeseos doctrinae, quorum numero adscribendus est Dereserius. Jam nil metuentes studia sua cum aliis communicabant, et fortiter se defendentes, accusationes, quae contra eos Româ afferebantur, operam summorum antistitum Coloniensium rejiciebant. Attamen non omnes, tam libere scribentes atque docentes, eadem gaudebant libertate: multorum contra sententiae vehementer opprimebantur, adhibita quidem vi, atque car-

ceris usu. Luculentissimum exemplum praebet Johannes Lorenzius Isenbichlius, antistes Ecclesiae Catholicae Gotingensis, qui summam operam dederat, Michaële praeceptore usus, linguis Orientalibus, et ab Electore Moguntino hujus doctrinae cathedra ornatus, mox summas egit lites cum iis qui alias partes sequebantur. In praedicatione, quam habuit Moguntiaci, negabat locum Vaticiniorum Jesaïae cap. VII^o s. 14^a 1) spectare ad Messiam, statuens: profetam Jesaïam regi Achae praedixisse mox puerum nasciturum Immanuëlis nomine, indicio, bellum non oriturum esse, pacem contra intra breve temporis spatium restitutum iri, ut Angelus Josepho nar-raverat quid accidisset Mariae, in documentum certissimum, puerum illum Jesum liberatorem fore populi Israëlitici, quem jam diu exspectaverant. Quod docuerat Isenbiehlus multis omnino ingratum erat, quamquam revera non prorsus oppositum fuit doctrinae vel statutis Ecclesiae. Namque hoc nomine, Concilium Tridentinum modo tales novas explicationes vetuerat, quae spectant ad fidem moresque, itaque arcte cohacrent cum fide Christiana; et si quaeritur de doctrina, hac in re congruebat Isenbiehlii explicatio cum Catechismo Romano, ubi locus ille Jesaïae affertur 2), quod neutiquam impugnabat, verba illa vaticinium dicens. Nullo tamen modo haec valebant; quod ipsi Summo Pontifici Gregorio VII^o (1073—1085) non prorsus Berengarii sententias refutanti, usu venit, quum ab adversariis hujus viri pre-

1) „Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.”

2) *Catech. Rom.* I. c. 4. Quaest. 4.

meretur, quod etiam Papae Joān̄ni XXII^o (1316—1334) accidit, 1) hoc etiam expertus est Isenbiehlius. Quae diu valuerant, etiam in posterum valere debebant; non disquisita est quaestio nec pervestigata veritas, — nam quid de Isenbiehlii sententia statuendum sit, hic dicere nil refert, agimus de principiis: — sed si opus esset et fieri posset, adhibita est vis; pro minore parte hoc omnino in Papparum, quos indicavimus, pro majore in Isenbiehlii ipsius, cujus fata ulterius exponenda nobis non sunt, exemplo conspicuum est. Sufficiat dixisse, eum in carcerem inclusum esse, postquam munere suo privatus per biennium in seminario degerat, quo tempore praeterlapso, scriptum suum de Jesaiae Vaticinio typis mandari curaverat. 2) Tandem denique sententiis suis rejectis, in gratiam rursus rediit cum Ecclesia.

Praecipue Theologia Catholica magnopere florebat in hujus seculi initio in Bavaria, ut etiam in regionibus Württembergensibus et Badensibus. Abusus abrogabantur, fines, quibus hierarchia contineretur, statuebantur, nonnulla dogmata ad genuinam conditionem referebantur; quum Carolus Dalbergensis id temporis Primatis munere fungens, quamquam ex animo Ecclesiae addi-

1) Quod memoratur a SCHRÖCKHIO *Kirchengeschichte*, T. XXXIII. S. 124.

2) Cui titulus: „*Neuer Versuch über die Weissagung vom Immanuël*, Jes. VII: 14. Coblenz. 1778.“ Cf. GIESELER. I. I. p. 156, 157. — Porro de ISENBIHLII fatiſ CH. MENZEL. I. I. p. 172—174. SCHLOZER's *Briefwechsel*. Band. XXVII, Heft 36, S. 346. u. f. (ubi legitur Bulla Papae Pii VI a die 20 m. Sept. a. 1779). LE BRETS. *Magazin zum Gebrauch der Kirchen- und Staatengeschichte*. Band. VIII. S. 36. — WOLF. *Geschichte der Kathol. Kirche unter Pius VI*. Band. II. Siebentes Buch. — SCHRÖCKH. *Neue Kirchengeschichte*. VII. S. 204. u. f.

ctus, hisce reformationibus favebat. Certissima hujus studii documenta exstant theologica Diaria, quae eo tempore prodibant. 1) Viri doctissimi, sagacissimi Ecclesiam Romano-Catholicam ornabant, Hugius, Wessenbergius, Hermosius aliique; praesertim etiam pius Sailerus, qui mysticismum quendam sequens viam ingressus est, unde Curia Romana plura et majora damna accipere potest, quam ex liberalismo, qui dicitur, qui in Catholicae Ecclesiae sinu saepius ad Indifferentismum ducit, unde vero reditus ad veterem fidem formasque sacpius ac citius fit, quam vulgo exspectant hierarchiae adversarii. Non solum enim inde a tempore Josephi III et congregatione Emseriana liberalismus ille vigeat inter Germaniae Romano-Catholicos, sed etiam conditiones politicae eum auxerunt, imprimis vero gravissimae turbae in Francia ortae et finis quem habuit Imperium Germaniae, quocum simul civitates ecclesiasticae e sacris profanae factae sunt. Inde evenit, ut multum detraheretur Episcoporum, quorum numerus valde diminutus erat, dignitati et auctoritati: ut cultus etiam novus institueretur, non amplius adhibita lingua Latina, sed vernacula, et sublato magno

1) Ad horum numerum pertinent: *Die Jahresschrift für Theologie und Kirchenrecht der Katholiken. Ulm seit 1806.* — JOH. JOSEPH BATZ, *Theologische Zeitschrift. Bamb. u. Würzb. 1809.* — *Archiv für das Kath. Kirchen- und Schulwesen vorzüglich in den Rhein-Bundesstaaten. Frankf. a. M. 3 Bde. 1810—1812.* — Contra haec scripta prodierunt ab altera parte: *Die Literatur-Zeitung für Katholische Religionslehren, herausgegeben von FELDER, später von v. MASTIAUX. Lands- hat seit 1810.* Et in posterum: *Der Katholik* quod Diarium ab anno 1819° Moguntiaci prodit, postea vero *Argentorati.* — Et *Allgemeiner Religions- und Kirchenfreund, herausgeb. von BENKERT seit 1828 in Würzburg.*

ceremoniarum numero: ut Papa primus haberetur Episcoporum, cui nulla auctoritas proprie dicta competat. *Centrum Unitatis* hic curare debet, ut fides intacta servetur; ubi vero contrarium quoddam conspicit, hortationibus ei utendum est; in causis majoris momenti universam synodum congregare potest, sed ipse nullam habet jurisdictionem. Praecipue duumviri commemorandi sunt, qui has sententias strenue vindicarunt; sc.: in regno Wurttembergensi Benedictus Maria Werkmeister, qui in patria sua regis nomine omnes res Ecclesiae Catholicae curabat; ¹⁾ et in Episcopatu Constansensi Ignatius Henricus Wessenbergius, vir plurimis nominibus laudandus, cujus fama longe extra fines Catholicae Ecclesiae nota est, de quo nonnulla hic sunt addenda.

Quandoquidem vitae ejus celeberrimae enarratio minime ad nostrum pertinet propositum, ²⁾ modo hic in memoriam revocamus, quantopere illius studium saluberrimos fructus non minus Helvetiae quam omni Germaniae attulerit. Plurimas instituit conciones, quae clericis summopere

1) Praecipuum, quod scripsit opus, prodiit titulo: „THOMAS FREIKIRCH oder freimüthige Untersuchungen über die Unfehlbarkeit der Katholischen Kirche. Frankfurt und Leipzig. 1792.“ — Et in Diario supra allato: *Jahresschrift für Theologie und Kirchenrecht der Katholiken* pro majori parte ipse totum systema Catholicum dogmaticum et instituta Ecclesiae exposuit e sententiis, quas defendebat.

2) De quibus egit vir doctissimus JOS. BECK, *Groszherz. Bad. Geheimen Hofrath* in opere suo: „*Freiherr J. HEINRICH VON WESSENBERG. Sein Leben und Wirken. Zugleich ein Beitrag zur Geschichte der neuern Zeit. Auf der Grundlage handschriftlicher Aufzeichnungen Wessenbergs.*“ — Cujus libri epitome prodiit hoc anno Groningae titulo: „*Een hervormer in de Katholieke kerk uit onze dagen. Levensschets van den bestuurder van het bisdom Constanz, Vrijheer J. H. VAN WESSENBERG.*“

proderant, quibus cultus optimas subiit reformationes. 1) Toto animo religioni addictus, nil omisit quo ei favere posset, cujus rei multa exempla afferri possent; sic v. c. Scripturae Sacrae usum strenue defendebat. Si tamen quaeritur, quomodo Wessenbergii sententiae cohacrant cum iis quas Honthemius exposuerat, ad notissimum ejus opus provocamus, 2) in quo indicavit, quid sentiret de potestate papali et conciliorum habendorum utilitate atque necessitate; semper et factis, quae affert, et sermonibus, quos proponit, enuntians: illam Aulae Romanae nimis auctam auctoritatem Ecclesiae summo fuisse damno atque his omnibus se Febronii, cujus rationem in succum veluti et sanguinem converterat atque imbiberat, germanum discipulum vel assecclam probans.

Lites inter utrasque partes Ecclesiae Romano-Catholicae non desierunt, sed ad hunc usque diem manserunt. Gravissimae quaestiones motae sunt, ut de clericorum coelibatu, ceteris. Non tamen negligendum est, in iis regionibus, ubi metus aderat, ne Romano-Catholicae Ecclesiae socii a principibus Protestantibus opprimeren-

1) Illarum concionum utilissimarum splendidissimum argumentum fuit: „Das Archiv für die Pastoralconferenzen in dem Landcapitel des Bisthums Constanz. Constanz. 1804.“

2) „Die groszen Kirchenversammlungen des 15ten und 16ten Jahrhunderts. IV. Constanz. 1840.“ — Cf. praecipue quae scripsit Tomo I. pag. 235. — „Durch das Wachstum der Pabstnacht wird die Verweltlichung der Kirche mehr befördert als gehemmt.“ Et pag. 143: „Wäre des Menschen Liebe nicht oft so kurzsichtig, liesze sie sich nicht unvermerkt von Selbstsucht beschleichen, verlöre sie nicht zuweilen das Vorbild der ewigen Liebe aus den Augen, wie hätte je der Gedanke Andere zu beherrschen in denjenigen Platz greifen können, die es als ihren Beruf anerkannten, Allen in Liebe zu dienen?“

tur, eos qui saniores ac liberaliores illas sententias defenderant, mox magis magisque adversariis suis se adjunxisse; profecto timentes, ne viderentur deficere ab Ecclesia Catholica, quam semper ut Matrem colebant. In iis quoque civitatibus, ubi mox antiquum regimen ac pristinae formae redierant, uti in Austria, non omnia in pejus mutata sunt, quae effecerant Imperatoris Josephi II' reformationes, vel potius Honthemii systema, unde hae ortae sunt. Auctoritas et jura magistratus in iis strenue defenduntur contra hierarchiam, ut luculenter patet e statutis de matrimonio, in quo discrimen agnoscitur pactum civile inter et sacramentum. Sic etiam causa matrimonii Protestantes inter et Romano-Catholicos non ab omnibus partibus quadrat cum principiis papalibus. Ad magistratum etiam pertinet omnis communicationis cum Aula Romana *inspectio*, *Placitum Regium* totam habet suam vim atque efficaciam. Quod jam Maria Theresia mandaverat, nimirum ut jus Canonicum non doceri posset, nisi e libris a magistratu probatis atque concessis, ¹⁾ ne valerent principia adversaria legibus atque institutis civitatis, id ad hunc usque diem permansit, et fortasse nunquam, non facile certe, mutabitur. ²⁾

1) Libro de Jure Canonico, qui hisce nostris diebus, saltem quatenus mihi notum est, in Austria valet, titulus est: „*Handbuch des gemeinen und Oesterreichischen Kirchenrechts*, Linz. 1819,“ quem scripsit GEORGIUS RECHBERGER.

2) Hac de re scripsit GIESELER. l. l. pag. 361: „Jene Canonistischen Grundsätze haben seit Joseph II. so sehr den ganzen weltlichen Beambtenstand und den grössten Theil der Geistlichkeit durchdrungen, dasz eine Aenderung mit den grössten Schwierigkeiten verbunden gewesen seyn würde, und durch die eng verbundene Beamtenaristokratie nicht leicht durchdringen konnte. So vereinigt sich im Oesterreichi-

Si vero quaeritur de Romano-Catholicis Theologis nostrae aetatis, minime negari potest, multos, in quibus viri sagacissimi et doctissimi, quamquam suae Eccle-

schen auf eine merkwürdige Weise religiöse Bigotterie und canonistischer Liberalismus." —

Scripto nostro fere prolo mandato, in manus nobis venit liber, cui est titulus: „*Oesterreich's Umbau im Verhältnisz des Reichs zur Kirche. Erste Abtheilung: das Concordat. Wien. 1862*; cujus auctor est vir doctissimus F. J. BUSS. *Hofrath und Ord. Professor des Canonischen Rechts, des Staatsrechts und der Staatswissenschaften an der Universität Freiburg, ehemals Mitglied der Deutschen Nationalversammlung und der Erfurter Parlaments. Auctor pag. 97. (II Abtheilung. Oesterreichische Kirchen- und Bildungszustände unter dem Drucke der Staatsallmacht.)* etiam, ut sponte intelligitur, agit de Febronii libro, de quo sic judicat:

Agnoscit Febroniani systematis fundamenta jam adesse in decretis Conciliorum Constantiensis et Basileënsis, simul vero contendit, Honthemium magis secutum esse Dupinum atque declarationem Ecclesiae Gallicanae anni 1682i, quamquam longe hos antecessores audacia et arrogantia superaverit. Ex ejus sententia munus sacerdotale, quo Honthemius fungebatur in civitate electorali Imperii Germanici, eum eo duxit, ut praecipue spectaret Episcoporum jura vindicare, et potestatem secularem a Primatu papali liberare, quum in talibus civitatibus ecclesiasticis Episcopus etiam potestate illa seculari gaudeat. Quod attinet ad nexum civitatem et Ecclesiam inter contendit, Honthemium idem statuisse quod Ecclesia Gallicana statuerat, quaecum congruunt Protestantium sententiae; cum tamen has magis etiam extendisse, temporis conditionis habitatione. Scilicet: principibus ausam dare volebat Honthemius multa reformandi in Ecclesiis Catholicis civitatum quibus praecrant, quum ita partem eorum, quae Ecclesia possidebat ad fines politicos adhibere possent. Quam ob causam *Placito Regio* Honthemius jus protestanticum vindicat *supremae inspectionis*; inde sequitur, Principem esse *defensorem et advocatum Ecclesiae*, quo munere fungens Ecclesiae eorum suscipere et Pseudo-Isidori Decretales rejicere possit. Principia haecce summopere favisse absolutismo, qui in civitate id temporis jam aderat, simul vero Ecclesiam ab iis summis calamitatibus expositam

siae sinceros socios ac filios, sententias, certe magis hierarchiae gratas, defendentes, hierarchiam illam non tantopere, non tam strenue vindicasse, ut priscis temporibus fiebat; itaque tamquam tacita argumenta exstant, ac suis in scriptis multa omittendo, quae expectari possent, probant: tempora mutari, hominesque in ipsis. Eorum numero certe adscribendus est vir doctissimus Möhlerus, qui in opere suo notissimo ¹⁾ tale quid praebere videtur, ut vir doctissimus Baur accurate indicavit. ²⁾ Möhlerus *de Hierarchia* agens exponit Ecclesiam capite carere minime posse, unitatis causa, quam

esse, contendit auctor, minime negans, quantopere in Austriae civitatibus Febronii liber jam valeret, quum scribat: „Der Absatz in den Osterreichischen Staaten war ein ungeheurer: wer seinen Weg in Kirche und Staat machen wollte, ward Febronianer.“ — Et quamquam vulgo statuebatur, Dogmatum et Moralis doctrinae principia unice essentialia esse in Ecclesia, quae quod ad ea spectat modo libera sit, auctor censet, Episcopos novis his statutis favisse, non perspicientes tali modo totam Ecclesiae libertatem corruisse. Itaque eum non adscribendum esse Febroniani systematis fautoribus, facile intelligitur; quum nimis partes Ecclesiae suscipiens non meminerit, vel concedere noluerit, quantopere Romano-Catholicae, vel potius ac rectius Curiae Romanae, principia, leges, statuta, taliaque plura et nocuerint et nocere possint civitatis libertati, ejusque sociorum nec minus Principis juribus.

1) Cui est titulus: „*Symbolik oder Darstellung der dogmatischen Gegensätze der Katholiken und Protestanten nach ihren öffentlichen Bekenntnisschriften. Von Dr. J. A. MÖHLER, Domdecan zu Würzburg, ordentlichen Professor der Theologie zu München.*“ — Hujus libri editio quinta prodiit Vindobonae anno 1838. Cf. § 43. pag. 394.

2) In opere, cui est titulus: „*Der Gegensatz des Katholicismus und Protestantismus nach den Principien und Hauptdogmen der beiden Lehrbegriffe mit besonderer Rücksicht auf MÖHLER'S Symbolik. Tübingen. 1833.*“ — Cf. S. 505—507, Ilae edit. anni 1836i, ubi multas affert quaestiones, de quibus agendum fuerat, quas tamen non tractavit MÖHLER.

censet cum eo arcte cohaerere, uti etiam ad stabiliendam fidem moresque. Jura tamen Papae ita definit, ut, quae spectent ad res Ecclesiae, minime vero ad conditionem politicam, quum ea quae medio aevo facta sunt, cohaereant cum statu ac conditione illius temporis, quae talia exigebat. Agnoscit vero discrimen, quod exstat inter jura essentialia vel genuina Papae, et ea quae ei accesserunt, itaque huius auctoritatem vel auxerunt vel deminuerunt. Duo systemata commemorat, quorum alterum ab Episcopis, alterum a Papa defenditur, quae ex auctoris sententia hac in re conveniunt, quod utrumque minime negat divinitus vel Episcopatum vel Primatum institutum esse. ¹⁾ In universum animadvertendum est, totam hanc quaestionem de hierarchia non fusius a Möhlero expositam, sed breviter modo tractatam esse.

Annis illis, qui nostram aetatem attingunt, vel saltem non longe ab ea distant, praecipue in Germania conspicimus magnas quaestiones motas in Romano-Catholica Ecclesia ipsa. Harum auctores et socii eo tendebant, ut libera Germano-Catholica Ecclesia fieret. Multis verbis de iis agere non lubet, neque pertinet ad finem quem nobis proposuimus; plurima etiam quae huc faciunt

1) Sic scripsit MÖHLERUS l. l. pag. 398: „Von welchen dieses, ohne die göttliche Institution der Bischöfe zu verkennen, die Kraft der Mitte besonders hervorhob, jenes aber, ohne die göttliche Einsetzung des Primates zu leugnen, die Kraft vorzüglich nach der Peripherie zu lenken suchte. — Indem hiernach ein jedes das Wesen des anderen als göttlich anerkannte, bildeten sie für das kirchliche Leben sehr wohlthätige Gegensätze, so dasz durch ihre Gegeneinanderbewegung sowohl die eigenthümliche, freie Entwicklung der Theile bewahrt, als auch die Verbindung derselben zu einem untheilbaren und lebendigen Ganzen festgehalten wurde.“

satis nota sunt, quum nomina Rongii, Czerskii, omnia quae tunc facta sunt in memoriam nostram revocent. Nullos fere fructus illud reformandi studium attulit, miserumque habuit effectum, quum praesertim principes, etiam Protestantes, politicis rationibus praevalentibus, ei auxilium suum detraxerint. ¹⁾ Sed ex sua indole minime etiam aptum fuisse videtur ad reformandam Ecclesiam Catholicam, quum mox nimis politicis studiis ac motibus se immiscuerit.

Itaque ad metam nobis propositam pervenimus. Fructus consideravimus, quos tulerit Febronii opus. Utinam principia, quae continet, magis magisque valerent in Ecclesia Romano-Catholica; profecto haec etiam hisce nostris diebus redintegrato veluti amore gauderet suorum ipsorum filiorum, et licet ipsum schisma, quod Christi sectatores disjungit, nequaquam, uti in votis habuit Honthemius, prorsus tolli possit, certo certius tamen Protestantes et Romani-Catholici propius ad se invicem magis accederent!

1) Fusius de nova illa Ecclesia egit inter ceteros, vir doctissimus DANIELUS SCHENKEL in Praelectionibus suis, quibus, lingua Belgica translatis, titulus est: „*Christendom en Ongeloof*.” 1848. N^o. 15, 16.



THESES.

I.

Licet Febronii consilium dissidentes in Ecclesia reconciliandi perquam laudabile fuerit, illa tamen qua ducebatur spes vana dicenda est.

II.

„De Mediis recuperandae libertatis Ecclesiae” satis recte Febronius iudicavit.

III.

Recte statuit Febronius: „Antiqua ratio excommunicandi, quippe Episcopi Romani jus, non fuit effectus propriae jurisdictionis respectu excommunicati.”

IV.

In Ecclesiae reformandae studio Imperator Josephus II. Henrico VIII^o., Angliae regi, longe anteponendus est.

V.

Leopoldus Tuscaniae Reformator majores etiam laudes quam Josephus II. promeruit.

VI.

Assentiendum est viro sagacissimo W. Broes (in opere cui titulus: *De Kerk en de Staat*, III. p. 274—289), reformationem Ecclesiae Romano-Catholicae, a principibus operatam, plerumque ad tristissimum pervenisse finem.

VII.

Quae statuerant Archiepiscopi Germaniae in Punctatione Emseriana, talia erant, quibus Josephus II. nullo modo favere potuit.

VIII.

Si Jesus Christus revera talis fuit, qualem proposuit eum Ernestus Renan, hic nimias illi laudes tribuisse censendus est.

IX.

Licet Jesus (Matth. XVI. s. 18.) revera Petro Apostolo primatum qualemcunque concesserit, hoc tamen ad confirmanda Pontificis Romani jura nequaquam valet.

X.

Schleiermacheri et Lachmanni sententiae, textum N. T. vix vel ne vix quidem restitui posse, minime assentiendum est.

XI.

In ultimo vitae Jesu die constituendo, testimonium IVⁱ Evangelii, synopticorum testimonio praeferendum est.

XII.

Vocabula *Φανέρωσις* et *ἀποκάλυψις* in N. T. haud quaquam promiscue usurpantur, ut nonnulli volunt.

XIII.

Scribenda epistola ad Romanos Paulus id maxime spectasse videtur, ut suum justificaret et commendaret propositum praedicandi Evangelium inter gentiles Europae Occidentalis.

XIV.

Verba Pauli, 1 Cor. I : 30, *δικαιοσύνη τε καὶ ἁγιασμός καὶ ἀπολύτρωσις* nequaquam pro epexegesi praecedentis *σοφία ἀπὸ Θεοῦ* habenda sunt.

XV.

Nec civitas ecclesiac, neque ecclesia civitati subji-
cienda est. Qui unum vel alterum perhibent, tam ecclesiae quam civitati noxiam opinionem proferunt.

XVI.

Si veteres in oratore non dicendi modo facultatem sed omnes animi virtutes exigebant, ita ut orator iis esset: „vir bonus dicendi peritus” (Quintilianus, *Instit. Orat.* in prooemio libri Iⁱ, et XII. 1, 44), haud minorem oratoris sacri notionem admittere nos decet.

XVII.

Egredie Vinet (Homilétique pag. 298.): „Etre éloquent, ce n'est pas ajouter quelque chose à la vérité, c'est lui rendre ce qui lui appartient, ... c'est faire tomber les voiles qui la couvrent.”

XVIII.

Nec minus probanda quae de oratoribus sacris idem auctor perhibet: „Nous sommes à la fois les gardiens des bonnes maximes et du bon langage.”

ERRATA.

- Pag. 1. Dignitissima pro dignissima.
„ 153. legiretur „ legeretur.
„ 156. Nota 3a. Verba „Quid Febronius hac in re statuerit de
Papae infallibilitate?“ omittenda sunt.
„ 157. (in Nota) conat- pro conati.

ADDENDA.

- Pag. 204. IV. *De Episcoporum conatibus novum rerum ordinem
in Ecclesia instituendi.*
„ 210. V. *De praecipuis novi Juris Canonici auctoribus atque
defensoribus.*
„ 212. VI. *De fructibus quos Ecclesia Romano-Catholica ipsa,
e systemate Febroniano perceperit.*

